



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY

DOMGYMNASIUM ZU NAUMBURG A/S.


JAHRESBERICHT

OSTERN 1881.

INHALT:

NAUMBURG A/S.
DRUCK VON H. SIELING.

1881. Progr. Nr. 205.


HARVARD COLLEGE
JUN 23 1899
LIBRARY.

De recta eorum, quae ad syntaxin Livii pertinent, dispertiendorum et ordinandorum ratione.

Nihil interesse et rem nullius momenti esse, quomodo ea, quae pertinent ad syntaxin describendam, dispertiantur et ordinentur, nemo, opinor, erit, qui contendere velit. Fuerunt autem grammatici, qui recentiorum quorundam nostratium inventa non curantes num vera esset illorum doctrina, ad antiquas quoque linguas, graecam dico et latinam, cum magno recti ordinis et perspicuitatis detrimento transferrent. Extiterunt enim inter Germanos duo viri, Herlingius et C. Ferd. Beckerus, qui novam prorsus enuntiationum secundariarum, quae dicuntur, doctrinam excogitaverunt, dividentes illas in tres partes, substantivas, adiectivas, adverbiales, eaque in exponenda syntaxi germanica usi sunt. Beckeri autem tota ratio cum refutata et explosa sit a Steinthalio in libro, quem ille scripsit de principiis grammaticae logicae psychologiae, Herlingii distributionem et nomina iam pridem impugnavit Etzlerus in disquisitionibus grammaticis p. 68—80. Et profecto quam nihili sint haec nomina, quam non accommodata ad describendam syntaxin linguarum antiquarum, optime perspici potest ex Kuehneri gramm. lat. II, p. 767, qui enuntiationem: sol efficit, ut arbores floreant, ad substantivas, illam autem: edere oportet, ut vivas, ad adverbiales refert, cuius distractionis tamen immemor alterum genus coniunctionis *ut,* quod posuerat, non, quemadmodum debebat, inter adverbiales, sed p. 819 statim post prius genus inter substantivas enuntiationes recenset. Etiam Draegerus in syntaxi historica linguae latinae nominibus illis non abstinuit.

Kuehnastii, ad quem nunc me converto, in conscribenda syntaxi Liviana non id erat consilium, ut solum Livium tractaret, sed ut in omnibus locis syntacticis eius dicendi genus cum aliorum scriptorum compararet, quo factum est, ut, cum multas etiam parentheses expositioni suae inseruerit, saepe quae sermonis Liviani propria sint, non uno oculorum obtutu perspici possit. In describendis singulis capitibus syntaxis meliorem ordinem secutus est quam alii, excepto tamen capite primo, quod complectitur syntaxin concordantiae et alia, quae eius sunt affinia, cuius capitis singulas partes nunc paulo accuratius perlustrare placet. Primum eum usum exponit, quo adiectiva pro substantivis usurpantur (p. 45—47), cui usui adnot. 24 quasi praeteriens admiscuit

usum nominum populorum collectivum et p. 46 eum, quo nomen populi pro duce usurpatur. p. 47 affert gen. partitivum *qui patrum, qui captivorum.* Postquam deinde ad usum contrarium substantivorum pro adiectivis transiit (p. 47 sq.) revertitur p. 48 ad neutra adiectivorum pro substantivis posita usque ad p. 52. Deinde commemorat usum praedicativum et attributivum adverbiorum et praepositionum cum subst. coniunctarum, p. 52—56. Sequitur deinde usus adiectivorum pro adverbiis p. 56 sq., cui additum est *alius* significatione ὁ ἄλλος. Tum p. 58 agit de appositione, addito *quisque* = uterque et usu pronominum demonstrativorum pro relativis. p. 59 *quo* = ad quod; *inde* = ab iis. Attractio praedicati p. 59 sq., p. 66 asyndeton attributorum. ib. constructio ad sensum, ut collectiva cum plur. et sing. verbi coniuncta (— p. 63). p. 63 substantiva concreta significatione collectiva usurpata, item p. 64 abstracta. ib. pluralis nominum propriorum et abstractorum (— p. 67). — p. 67 revertitur deinde ad constructionem ad sensum, in primis in numero et genere (— p. 69). Vides quanta farrago rerum diversissimarum alio pertinentium in hoc capite contineantur. Praeterea expositio usus praepositionum apud Livium in Kuehnastii libro admodum tenuis est et manca.

Ut in Livio subsistam, conabor nunc paulo uberius exponere, quo modo ea, quae ad eius syntaxin pertinent, apte et perspicue dispertiri et ordinari possint. Enuntiatio cum constet ex subiecto et praedicato, ut prius de subiecto agatur, primum consideranda erunt substantiva, quippe quae potissimum subiectum constituant, quibus tamquam supplementa deinde addenda sunt praepositiones et pronomina. In altera parte spectandae erunt notiones praedicati, verba et adiectiva, in tertia autem tractabitur doctrina enuntiationum, ad quam appendicis loco accedit usus particularum.

Ut iam a substantivis ordiar, in capite primo dicendum erit de variis substantivi generibus eorumque usu. Primus occurrit nobis usus substantivorum abstractorum pro concretis, ut si *causa* de homine dicitur (I, 13, 3 et sedecim praeterea locis), quo pertinent inter alia etiam *ludibrium* (I, 56, 9), *terror, momentum, progenies, legatio* de iis, quae legati retulerunt, *subsidium, dignitates, aetates, mora, inpedimentum, spectaculum.* Sequitur deinde significatio substantivorum collectiva (velut *servitium, civitas* = cives, *nobilitas, remigium* = remiges, *iuventus* etc.). Huc pertinet etiam, quod nomina regionum et urbium nonnunquam pro incolis usurpantur, (ut VI, 3, 2 *Etruria,* XLI, 23,1 et 24,10 *Graecia*), cuius contrarium et multo frequentius est, si nomina populorum pro regionibus usurpantur. Deinde saepe substantiva generalis et specialis significationis in eodem casu posita inter se coniunguntur, ut alterum sit adiectivi instar attributiva significatione accipiendum. Sic dicitur *saxo silice* (I, 24,9), *liberator — populi Romani animus* (I, 56,8), *liberatorem populum, tironem exercitum, ab equite hoste* (IX, 19, 15), *iaculatorum peditum, terra Italia* etc. Pertinent huc etiam nomina gentium, ubi nonnunquam pro substantivo adiectivum positum exspectas, ut *Galli equites, Poenus imperator, equis Numidis.* Deinde substantivum abstractum cum concreto in genetivo posito in unam notionem coniungitur, ut *tanta foeditate supplicii* = tam foedo supplicio (I, 26, 11), *tantae caritati Hieronis.* Deinceps agendum erit de appositione, quae aut nominum esse potest aut totarum enuntationum. App. nominum aut talis

est, in qua utraque notio eundem ambitum habeat, aut partitiva. Partitiva (primum hoc nomen invenio apud Schneid. ad Caes. b. Gall. p. 117, qui paulo rectius partientem eam vocat) esse potest aut distributiva, qua totum per appositionem in partes suas dividitur, aut adiunctiva (bene hoc genus primus, nisi fallor, distinxit Kruegerus in grammatica graeca), qua toti tantum pars ex adverso ponitur ita ut totum adiuncta parte quasi corrigatur et restringatur. Ad collocationem quod attinet, nonnunquam appositio ante eam notionem ponitur, quae definienda est. Denique commemorandum est, nonnunquam appositionem proxime distare a significatione praedicativa. Exemplum app. distributivae est II, 28,1 *plebs — pars — pars,* adiunctivae XXI, 24,2 *Galli — aliquot populi,* item XXX, 3,9 *Numidae — pars maxima,* v. W. etc., exempla appositionis totius enuntiationis IV, 17,4 *rem incredibilem;* 34,6 *rem aeque difficilem atque incredibilem* etc. — Praeter coniunctionem cum genetivo etiam aliis modis unum substantivum cum altero in unam nationem coalescit, ut II, 23,4 *cicatrices adverso pectore;* XXII, 61,13 *Romam adventum*; XXV, 33,4 *reditus domum;* XXXII, 32,9 *prope Nicaeam litus;* ib. 39,4 *hibernis Corcyrae* et quae sunt eius generis exempla similia. — Separatim sunt tractanda substantiva verbalia, primum ea, quae primam declinationem sequentia in *a* desinunt (*pastor accola, exule advena, plebs transfuga*), deinde in *tor* desinentia, quae a Livio saepe cum gen. obiectivo, saepe etiam adiectivorum instar cum alliis substantivis, adeo abstractis, coniunguntur: cum verbo *esse* coniuncta circumscribunt notionem verbi, cf. *liberator populus, animus — adhortator* (IX, 13,2), *domitor exercitus; nemo tam famae contemptor est.* Substantiva verbalia in *io* exeuntia utrum activa an passiva significatione usurpata accipienda sint, non est in ipsis positum, sed pendet ex eo substantivo, ad quod actio eorum referenda est. Denique subst. verb. in *us* desinentia, quae concordant cum supino verbi, cum verbo substantivo *esse* coniuncta facultatem exprimunt, ut I, 56,3 *ubi usus non esset;* II, 65,2 *receptus fuit;* X, 34,10 *unde — circumspectus esset* etc.

In capite secundo tractandus erit numerus substantivorum. Primum singularis saepe habet significationem collectivam (*vestis, pedes, eques, miles, hostis, remex, later, telum, abies, aries, capillus, hastile, glans* etc.). Etiam nomina gentium saepissime a Livio in singulari numero significatione collectiva usurpantur, cum quo usu non confundendus est is, quo princeps sive is, qui praeest populo, designatur. Ad collectivam significationem singularis proxime ea accedit, quam abstractam possis dicere, qua nil nisi ipsa notio substantivi spectatur, quod plerumque fit ratione habita complurium, de quibus substantivum illud dicitur. — In nonnullis substantivis usus Livianus accurate distinguit inter signif. singularis et pluralis (*ordo, supplicatio, ruina, cervix, frumentum, gratia* etc.), aliorum contra sing. et pluralis a Livio saepe promiscue usurpantur (*fortuna, Pyrenaeus, finis, commeatus, manum* et *manus conserere, conferre, subsidium, auxilium, ops* etc.). Deinde in singulari commemorandae erunt coniunctiones, quales sunt *legione secunda ac tertia, primam ac tertiam legionem.* Pluralis dicitur aut de compluribus rebus aut de singulis partibus eiusdem rei aut certa quadam significatione a signif. singularis eiusdem substantivi diversa (de quo vide iam supra), nonnunquam etiam ῥητορικῶς usurpatur ad significationem singularis exaggerandam, denique commemorandum, ne nomina propria quidem et abstracta carere munero plurali.

Tertium caput complectetur casus substantivorum, primum nominativum et vocativum. Nominativus primitus est casus nominandi, ut I, 1,5 *Troia et huic loco nomen est,* ad q. l. vide Drak., XXXII, 39,6 *haud procul urbe Mycenica vocatur,* v. W., deinde casus subiecti. Maxime memorabile est, quod saepe nominativus, frequentissime *ipse* et *quisque,* ablativo absoluto aut abl. gerundii sic interponitur, ut subiectum proprie sit, si sententiam quaeris, verbi illius, non verbi finiti, cum quo syntactica ratione coniungendus est, ut IV, 44,10 *causa ipse pro se dicta — damnatur.* De vocativo nihil commemorandum erit nisi varia eius collocatio in enuntiatione.

Ablativus, ad quem nunc me converto, dividi potest in abl. quantitatis et qualitatis. Ad abl. quantitatis primum pertinent abl. loci et temporis, abl. loci iterum triplex genus constitui potest, primum enim respondere potest ad interr. *unde* et dici de remotione a loco, deinde de spatio inter duo loca interiacente (abl. medii, ut *porta Collina intravere, frumentum Tiberi venit, iugo circummissus*), denique respondere potest ad interr. *ubi,* quietem significans in loco. Ad primum genus (interr. *unde*) praeter nomina urbium, abl. *domo* et *rure,* multa pertinent verba, ut *pellere, cedere* cum compositis, *liberare, arcere, movere, prohibere* et plurima cum praepositionibus *ab, de, ex* composita, adiectiva *liber, vacuus, nudus, extorris,* adverbium *procul.* Inter ablativum de quiete in loco usurpatum (locativum) praeter nomina urbium et insularum, *domi, militiae, rure, humi, incertus, aeger animi* referendi sunt ablativi *dextra, laeva, recta, loco, parte, terra, mari,* adiect. *totus* cum subst., *stare* cum abl. *fama, consilio, foedere, fide, vero* etc., abl. *numero* (hostium), *media urbe, animo* etc., denique adverbia ablativi formam habentia *qua, quacumque, aliqua, alia, ea, eadem, illac.* Ut iam ablativum temporis omittam, addendum est ad abl. quantitatis etiam ea referenda esse, quae interiorem quasi quantitatem s. gradum exprimunt, abl. comparationis dico et differentiae, ad quem etiam adiungi possunt ablativi copiae et inopiae, item ablativus pretii et is, qui cum adiectivis *dignus* et *indignus* coniungitur. — Ad ablativum qualitatis pertinent ablativus instrumenti, causae, limitationis, quem Draegerus, haud scio an rectius, relationis appellat, modi, originis, qualitatis.

Accusativus item dividitur in acc. quantitatis et qualitatis. Acc. quantitatis esse potest quantitatis aut extensivae aut intensivae, accusativus quantitatis extensivae dividitur in acc. regionis et progressionis. Acc. regionis est acc., qui dicitur, loci, quo pertinent maxime nomina urbium, insularum, terrarum, deinde *domum* (*domos*), acc. pendens a *prope,* quod nonnunquam tamen etiam ad tempus refertur, *propior, propius, proximus, proxime,* acc. loci pendens a verbis cum praepositionibus *ad, in, inter, sub, trans* compositis, denique, cum a rarioribus quibusdam discesseris, locutio *infitias ire.* Acc. progressionis complectitur acc. spatii et temporis, quorum uterque continuitatem sive perpetuitatem exprimit. In accusativo temporis etiam is commemorandus est, qui post *pridie* et *postridie* ponitur, quae voces, ut recte censit Madvigius gramm. lat. p. 230, praepositionum instar usurpantur. Pertinet huc etiam et similis est accusativus, qui vulgo graecus, a Kuehnastio autem p. 151 acc. determinationis appellatur, *nihil, aliquid, ecquid, id aetatis, hoc noctis, secus, pondo* (XXVII, 4, 9 *terna pondo paterae aureae,* al.), *vicem, ceterum, cetera.* Ad acc. quantitatis intensivae pertinent *multum, plus, plurimum, quantum, tantum, tantundem, aliquantum, paulum, parumper.*

Tantum longe plurimis locis in eam se convertit significationem, ut sit pro adverbio, qua significatione additur etiam numeralibus (*duos tantum*, *unius tantum criminis* etc.). Denique pertinent ad acc. progressionis etiam adverbia comparativorum et superlativorum accusativi formam habentia, velut *summum* (XXI, 35, 9 et aliis locis). — Ad acc. qualitatis primum spectat is, qui stirpis eiusdem et originis est atque verbum (*facinus facere* et similia), aut verbo cognatae significationis, aut pronomen (*haec si indignor, id, quod, quid, aliquid, quidquid, nihil*). Proximus est acc. post verba affectuum positus, ut *horrere, timere, lugere, queri, deflere.* Deinde sequitur supinum in *um* desinens, denique, qui campus est latissime patens, quivis accusativus liberioris obiecti. Postremo duplex accusativus spectandus erit.

In describendo *dativo* initium fiat a dat. qualitatis. Dativus cum remotius obiectum exprimat (v. synt. Lucr. p. 39), quod effectum actionis dicere possis, passivam magis aut activam significationem habere potest, quoniam effectus ille vicissim verbum respicit et vim suam in eo exercet. Prouti autem aut passiva aut activa significatio magis conspicua est et praevalet, distingui potest inter *dativum effectûs* et *dat. energicum* (δοτικὴν δυναμικήν). Ad dativum effectus pertinent dativi coniuncti cum verbis *consulere, vacare, nubere, auctor sum, temperare, moderari, persuadere, invidere, fidere, adulari, deesse, obtrectare, favere* et innumerabilibus aliis, quo pertinent etiam verba dandi, adimendi, detrahendi, negandi et plurima adiectiva cum dativo iuncta. Huc accedit dat. commodi et incommodi latissime patenti significatione, itidem dat. ethicus. Denique coniungitur dativus effectûs rei etiam cum verbis *esse, dare,* ad quem plerumque alter dativus personae accedit. — Dativus energicus primum is est, qui cum verbo *esse* coniunctus proprie possessorem exprimit, deinde dativus participii (*descendentibus, vere aestimanti* etc.), tum duplex dativus coniunctus cum *licet, mihi nomen est* s. *inditur.* Accedit dativus coniunctus cum verbis passivis, inprimis gerundio et gerundivo, denique multa adiectiva, velut *gratus, invisus, utilis, facilis, ignotus, opportunus,* alia. — Dativus quantitatis primum ponitur coniunctus cum notionibus propinquitatis, quo pertinent *propinquus, propior, proximus,* verbum *propinquare, adfinis,* adverbium *iuxta.* Deinde dativus quantitatis est, qui sequitur notiones miscendi et iungendi ac similes, ad quas accedunt plurima verba composita cum praepositionibus loci, velut *ad, in, inter, sub, super,* aliis, ita tamen, ut non semper verus locus, sed nonnunquam etiam per metaphoram intellectus indicetur. Denique dativus quantitatis est iunctus notionibus similitudinis et aequalitatis earumque contrariis, *similis, dissimilis, par, pariter, dispar, aequalis, aequus, aequare, aequiperare.* Huc accedit *superstes,* quod de tempore dicitur.

Genetivus dividitur in subiectivum et obiectivum, uterque iterum in gen. quantitatis et qualitatis. Ad gen. subjectivum quantitatis primum pertinet gen. partitivus, deinde gen. totius quod mensi sumus (*quadraginta talenta argenti, pocillum mulsi, magnum frumenti numerum* etc.), ad gen. qualitatis genetivus personae vel rei, cuius aliquid proprium est (*operae est, operae pretium est* etc.) et genetivus possessoris. Genetivus obiectivus quantitatis complectitur genetivum mensurae (*coronam parvi ponderis* etc.), genetivum pretii, genetivum materiae (sic II, 64, 3 *ingentes — praedas hominum pecorumque* etc.). Genetivus qualitatis aut respondet ablativo qualitatis (*vehementis ingenii vir*), aut con-

tinet verum obiectum, pendens illud aut ex substantivis, aut ex adiectivis, aut ex verbis. Exempla sunt *immortalitatis fautor, desiderium Romuli,* adiectiva *expers, particeps, avidus, cupidus, iuris consultus, memor, immemor, compos, potens, inpotens, gnarus, ignarus, prudens, imprudens, peritus, similis, plenus, inops, incertus, fertilis, insuetus, compertus, egenus, intolerans, fessis tot malorum* (XXI, 35,6), *insons, suspectus, reus, intemperans, proprius, dubios sententiae* (XXXIII, 25,5), *opulentus. conscius, socius, adfinis, capax, patiens* multaque verba. Ad genetivum obiectivum qualitatis pertinet etiam is qui *epexegeticus* sive *definitivus* dicitur, qui pendens ex alio substantivo explicat illud appositionis instar, ut II, 1, 4 *pastorum convenarumque plebs;* § 5 *pignera coniugum ac liberorum*; *Asturae flumen, abietis arboribus, Miseni promunturium, lacum Averni, fretum Euripi, flumine Loracinae.* Appendicis loco deinde tractanda sunt ellipses et pleonasmi substantivorum. I, 24, 4 *puram tollito* mente addendum est *herbam, verbenam.* Frequentes sunt ellipses vocum *aedes, ara, assium* praecedente *aeris* (*aeris* autem omissum est I, 43, 4), *via* (qua, ea, recta), *feriae* (Latinae), *passus, naves, filius* (ut XXV, 35, 1 *Hasdrubalem Hamilcaris* etc.); XXVII, 36, 10 *urbana — peregrina* (sc. sors s. provincia); XXVIII, 38, 5 *signati argenti magnum numerum,* sc. nummum, etc.; *modium;* XXXI, 47, 2 *statum,* ubi *sacrum, sollemne, tempus* mente addendum est; *argenti, auri, rus* s. *praedium, sestertio* etc., *frumentum;* XLV, 40, 5 *pro rata,* int. *parte; corona.* Nonnunquam omittitur, ut in graecis *σημαίνει, σαλπίζει, θύει,* significatio hominis, qui certum aliquod negotium exsequitur. Huc accedunt eae ellipses, quas grammaticarum nomine significare possis, si notio quaedam ex superioribus, ubi vel ipsa vel similis certe iam posita est, repetenda est. Pleonasmus tum apparet, cum substantiva (quod ap. Livium etiam in aliis vocabulis fit), exiguo intervallo repetuntur.

Accedo nunc ad *praepositiones.* Nonnullae praepositiones cum primitus adverbia fuerint, non est mirum nonnunquam veras praepositiones cum talibus adverbiis coniungi, sic V, 35, 4 *cis Padum ultraque;* IX, 32, 9 *ante signa circaque;* XXXI, 24, 9 *intra eam extraque;* XLIV, 8, 6 *et supra ripas ingentis gurgites facit et infra,* v. Drak. Alibi tamen ad priorem praepositionem substantivum, quod cum altera praep. coniunctum est, mente addendum est, sic XXV, 5, 6 *alteros, qui citra, alteros, qui ultra quinquagensimum lapidem — inspicerent;* XXXVIII, 39, 17 *pars eius citra pars ultra Taurum est;* XXXIX, 4, 9 *circa muros supra subterque terram.* — Si eadem praepositio cum duobus substantivis coniungenda est, aut repetitur ad alterum aut omittitur et mente additur. — Deinde spectanda erit coniunctio duarum praepositionum in eodem praedicato, ut II, 52, 7 *proelium cum Tuscis ad Ianiculum* etc. Tum sequitur *collocatio* praepositionum. Post casum suum posita est praepositio XXII, 3, 3 *Faesulas inter Arretiumque;* XXVII, 41, 4 *castra Punica ac Romana inter iacebat campus;* XXVIII, 14, 5 *quos inter;* XXXII, 13, 1 *quas inter.* Nonnunquam praepositiones a nomine, quo pertinent, insertis aliis vocabulis separantur, nonnunquam contrarium fit, ut vocabula, quae ad nomen pendens pertineant, non satis logica ratione per praepositionem ab ea divellantur. Denique saepe praepositio inter adiectivum et substantivum medium locum tenet. Exempla sunt I, 59, 4 *adversus hostilia ausos;* IV, 43, 2 *ob Sempronianae cladis levatam ignominiam;* XXVII, 36,2 *ad mercede auxilia conducenda;* XXXV,

32, 7 *propter et civitatis dignitatem* etc.; XXXVII, 18, 7 *plurimum terroris in Gallorum mercede conductis quattuor milibus erat;* XXXIX, 25, 8 *praeter belli cladibus amissos;* XLI, 11, 5 *inter simul conplorationem;* XLIV, 1, 10 *post scelere partum regnum.* VIII, 2, 5 *haud in dubia spe;* XXI, 49, 11 *haud cum inparatis;* VIII, 13, 4 *admodum a paucis,* cf. VI, 33, 10 *ex prope certa fiducia;* XXII, 50, 9 *quamvis per confertos;* XXVIII, 2, 5 *vixdum in egressos;* XLV, 19, 5 *tamquam de altero Romanis certo amico* = de altero tamquam, v. W. II, 19, 5 *hac aut illa ex acie;* VII, 19, 3 *medio in foro* = XXXIV, 5, 8. XXVI, 46, 2 *parte in alia.* IX, 43, 15 *aciemque per mediam.* XXVII, 26, 8 *medio in saltu.* XXXVII, 12, 12 *medio in cursu.* XXXIX, 53, 12 *mediam in Thessaliam.* XLIV, 35, 16 *medio in alveo.* XL, 45, 4 *haec inter prodigia.* — Denique praepositio cum substantivo iuncta saepissime attributiva significatione alii nomini apponitur, ut I, 21, 3 *ex opaco specu fons* etc.

Liceat mihi nunc nonnullas praepositiones secundum distributionem varii earum usus paulo accuratius perlustrare. ***A, ab*** a) dicitur de loco, unde aliquid movetur, exit, proficiscitur, sive ille est verus locus sive per metaphoram intellegendus. b) coniungitur cum nominibus terrarum et regionum. c) cum nominibus urbium et insularum. d) Praep. *a* cum nominibus locorum coniuncta etiam patriam indicat (ut I, 50, 3 *Turnus Herdonius ab Aricia*). e) coniungitur cum *domo.* f) coniungitur cum verbo *oriri,* ut originem exprimat. g) additur iis notionibus, unde quid nomen traxit sive appellatum est. h) additur notionibus incipiendi et ordiendi. i) Notio loci transfertur ad tempus, cum cuius notione interdum notio causae coniuncta est k) Motus notio transfertur ad actiones, quod saepissime fit in passivis verbi formis, interdum etiam in intransitivis. l) causam exprimit. m) Separatim commemoro notiones liberandi, vindicandi. n) item separatim notiones tuendi ac defendendi. o) *ab re* dicitur pro *alienum ab re.* VII, 11, 1 *haud ab re duxi.* XXXV, 32, 6 *ab re esse.* p) Praep. *ab* coniungitur cum notionibus timendi, metuendi.

De praepositio a) de loco dicitur, unde aliquid proficiscitur, in rebus veris et cogitatis (v. Kampm. de *De* praep. usu Plautino p. 1). b) Separatim commemoranda sunt verba sumendi, capiendi, excipiendi. c) *de* ita dicitur, ut aliquid disiungatur a copia aliqua aut possessione alterius et transeat ad usum aut possessionem alterius (Kampm. p. 2, n. 4). d) significationem habet partitivam. e) de tempore dicitur, *de die, de nocte, de tertia vigilia.* f) causam, qua quid efficitur, indicat (*qua de causa, de nihilo, gratulantes de victoria*). g) respondet Graecorum praepositioni περὶ cum gen. iunctae. i) Eandem vim habet *de* iunctum cum verbis *facere, fieri actum est* significatione *periit aliquid, extinctum est* (quid de nexis fieri placeret, quid de praeda faciendum censerent, actum esse de libertate sua). k) de industria. l) de integro. m) Separatim commemorari possunt verba certandi, dimicandi. n) Denique commemorandae sunt coniunctiones *victoria, triumphus, triumphare de aliquo.*

E, ex a) dicitur de loco et de iis rebus, quae per metaphoram pro loco accipiuntur. b) iunctum cum terrarum nominibus. c) coniungitur cum v. *domus.* d) indicat locum, unde quis oriundus sit, ubi habitet, quo pertineat (v. Hand. Turs. II, p. 618. Kampm. de *DE* et *EX* praep. usu Plautino p. 12), *Gellius Egnatius ex Samnitibus* etc. e) *ex* cum materiae nominibus iunctum indicat aliquid ea materia compositum aut confectum esse (sic *ex eo donum aureum fieret* etc.).

f) de toto aliquid depromi significat et habet etiam significationem partitivam (*ex plebe homines, una ex obsidibus* etc.). g) coniungitur cum *pars,* unde existunt notiones adverbiales (ex parte, magna ex parte, aliqua ex parte). h) *Ex* originem significat. i) causam indicat, qua quid efficitur (ex vulnere claudus etc., ex vulnere moritur etc.). k) coniungitur cum verbis, quae mentis aliquam actionem indicant (sentire, spectare, aestimare, scire, suspicari, coniectare, cognoscere, apparet, patet). l) *Ex* adhibetur ad indicandam mutationem quandam, maxime, si coniunctum est cum verbis *facere, fieri.* m) *Ex* ita dicit proficisci aliquid et prodire ex alia re, ut ei consentaneum sit, idem quod *secundum* (sic Kampm. p. 19), *ex consilio patrum, ex pacto, ex foedere, ex senatus consulto, ex auctoritate patrum, ex voluntate, ex dignitate, ex lege, ex instituto, ex sententia, ex decreto, ex more, ex responso* etc. n) *Ex* coniungitur cum genere neutro adiectivorum et participiorum, ut plerumque vicem adverbiorum obtineant (*ex composito, ex transverso, ex occulto, ex insperato, ex necopinato, ex supervacuo, ex aequo, ex propinquo, ex tuto, ex praeparato, ex adverso, ex aperto, ex inproviso* etc.). o) *Ex* de tempore dicitur aut ita, ut significet rem aliquam a certo quodam temporis puncto initium capere aut omnino post aliam fieri aut statim. (v. Kampm. p. 20). q) *Ex* cum v. *res* coniunctum idem significat quod in commodum rei (*e re publica*).

Prae a) de loco dicitur (prae se agere, gerere, tenere, ferre etc.). b) in comparatione duarum rerum usurpatur. c) de causa dicitur, etiam in affirmante sententia (obliti prae gaudio, prae metu — extremos exclusere etc.). In compositione cum verbis *prae* saepissime significationem localem praep. *praeter* habet, ut in *praefluere, praeferri, praegredi, praevehi;* nonnunquam temporis habet significationem, interdum per pleonasmum additis etiam adverbiis temporis *ante, prius* (praemeditari, praecogitare, praeoccupare).

Pro a) de loco dicitur. b) de defensione, de iis, quae aliquam rem iuvant aut promovent aut tuentur, quae commodum et utilitatem significant, ut interdum etiam dativus pro eo poni possit (cf. Hand. IV, p. 580). c) dicitur pro *vice, loco* alicuius, aut, quod non multum diversum est, pro eo, quod speciem alicuius rei induit vel imitatur, quod instar est alicuius rei; saepe idem est quod *ut, tamquam, quasi.* Sed etiam de officio ac munere dicitur, quo aliquis fungitur et de iis, quae alicuius nomine vel auctoritate aguntur, v. Hand. p. 581 sqq. (pro certo habere, pro consule missus, spem pro re, pro nuntio fuit, nihil pro magistratu agere, si — pro dictatore quid egisset). d) dicitur pro *secundum* aut *pro ratione alicuius rei* et non raro adsciscit significationem distributivam (pro imperio, pro virili parte, pro se quisque, maior quam pro numero etc.). e) usurpatur *pro* de compensandis rebus et de pretio, quo aliqua res expenditur (Hand. p. 585), ut *pro tantis beneficiis gratiae referendae* etc.

Ad a) de motu ad aliquam rem directo usurpatur, sive is est verus motus sive per metaphoram cogitandus. Nonnunquam etiam terminus significatur aut addito aut omisso adverbio *usque.* b) *ad* ponitur de quiete, de re, quae aliam rem attingit vel in eius vicinitate posita est, ut idem nonnunquam significet, quod *apud* (cf. Hand. Tursell. I, p. 88 sqq.). c) *ad* praep. additur etiam nominibus urbium, regionum, insularum, non secus si motus exprimitur ac si quies et commoratio significatur. Si cum urbium nominibus coniunctum *ad* de motu dicitur, non necessarium est

semper de vicinia urbis cogitare, red potest etiam ingressus in urbem ipse significatus esse. d) Cum temporis notionibus *ad* praep. aut ita coniungitur, ut directionem ad tempus aliquod exprimat, quod instar loci est, aut ut significet quousque aliquid permaneat aut producatur, ut idem sit quod *usque ad,* aut de eo tempore dicitur, quod non accurate definitur, sed tantum ex propinquitate alicuius certi momenti designatur. (Verba sunt Handii p. 98), *ad tempus* aut significat ad certum vel constitutum tempus, aut tempore opportuno, aut idem est q. in aliquod tempus. In primis etiam commemorandae sunt locutiones *ad extremum, ad portremum, ad ultimum.* e) *ad* dicitur de re, qua incidente aliud fit vel evenit, ut saepe non multum a causae significatione absit. I, 7, 7 *cum — boves quaedam ad desiderium — relictarum mugissent.* 25, 6 *ad quorum casum cum conclamasset — exercitus.* 39, 2 *clamore — ad tantae rei miraculum orto; ad nuntium; ad signum*; *ad spem; ad clamorem; ad crescentem tumultum; ad edictum; ad strepitum*; *ad quorum famam* etc. f) *ad* usurpatur de eo, quod alicui rei additum est aut simul cum ea exstat (sic Handius p. 96), quo pertinent formulae *ad cetera. ad id, ad hoc,* ita ut *ad* in talibus significationem habeat praepositionis *praeter.* g) Etiam cum notionibus numeri et mensurae praepositio *ad* coniungitur. Saepissime etiam *ad* numeralibus appositum numerum non accurate definiendum designat, ad quem aliqua res accedat, ut idem sit quod circiter. In his tamen *ad* fere semper adverbii vice fungitur. Denique pertinet huc etiam locutio *ad unum omnes.* h) Ponitur *ad* in rerum comparatione cum aliis rebus facta. i) Dicitur *ad* de ratione, ex qua aliquid considerandum aut notio aliqua conficienda sit, pro: *si respicis ad, ratione habita, quod attinet ad* (cf. Hand. p. 106). Quare inprimis huc referenda sunt *pertinere*, *attinere* cum *ad* praep. coniuncta. k) ponitur *ad,* ubi significanda est norma et regula et id quod actionem aliquam regit et modulatur, id quod reddi potest per vocabulum *secundum* (Hand. p. 108). Quo pertinent etiam formulae *ad simulacrum, ad modum, ad speciem, ad exemplum.* l) *ad* ponitur ad significandum consilium aliquod et usum et effectum, aut ubi dicitur rei facultatem valere et constare ex alius rei ratione. Et saepissime adiectiva et participia cum nominibus coniunguntur per hanc praepositionem, quae utilitatem, aptam et idoneam rem, opportunitatem hisque contraria significant. Huius generis sunt ea, in quibus aliquid dicitur esse alicui rei destinatum aut ad aliquam rem efficiendam institui aut alicui consilio servire. Frequentissimus usus est in gerundiis et gerundivis (cf. Hand. p. 112 sqq.). m) Rarus est usus praepositionis *ad* in verbis dicendi, si exprimenda est persona, ad quam oratio convertitur, multo frequentius *ad* cum acc. rei coniungitur post verbum *respondere* aut verba eiusdem significationis.

adversus a) de loco ponitur, ut idem sit quod *e regione.* b) idem significat quod *coram, praesente aliquo.* c) in comparatione ponitur. d) pro *contra* dicitur de animo inimico, de impugnandi et defendendi conatu et de hostili aggressu et de defensione iuris. e) in bonam partem accipitur et dicitur de animo benevolo in aliquem et inde prodeuntibus actionibus.

ante a) de loco dicitur. b) de tempore. c) de re aliis praeferenda et de praestantia.

contra a) de loco dicitur, = adversus, ex adverso, e regione. b) usurpatur de certaminis contentione et de quocumque adversandi modo, sive in hostili aggressione, sive in alia quavis con-

tentione (Hand. Tursell. II, p. 114). c) Separatim commemoro *contra ea,* quod idem significat atque adverbium *contra* et usurpatur in opponendis duabus sententiis contrariis. Verbum compositum est VIII, 2, 2 *contradici.*

extra a) dicitur de loco et de rebus, quae per metaphoram pro loco accipiuntur. b) de exceptione dicitur, ut idem sit quod *praeter.* VIII, 32, 8 *extra ea.* XXVI, 34, 3 *extra filias* 47, 4 *extra hac multitudinem* etc.

inter a) de loco dicitur et de rebus in aliquo loco versantibus aut positis, item de multitudine aliqua vel numero aut copia rerum, in qua quis versatur. b) *inter* cum pronominibus personalibus coniunctum, *inter nos, inter vos, inter se,* mutuam actionem exprimit. c) de tempore dicitur, quo referenda sunt etiam nomina rerum in tempore factarum et condiciones rerum, item *inter* cum gerundiis et gerundivis verborum coniunctum.

intra a) dicitur de loco. b) de tempore. c) cum numerorum nominibus coniungitur.

ob a) de loco dicitur XXVIII, 19, 14 *ob oculos erat.* b) de causa.

per a) dicitur de loco. b) de tempore dicitur et coniungitur etiam cum nominibus, quae res in tempore factas significant. c) de causa dicitur et coniungitur maxime quidem cum personarum, sed etiam cum rerum nominibus. Quae ratio transfertur etiam ad eos, qui non impediunt, sed concedunt, ut aliquid fiat atque ad eas res, secundum quas aliquid agi liceat (cf. Hand. Tursell. IV, p. 439). Sic saepius usurpat Livius locutionem *stat per aliquem.* d) usurpatur praepositio *per* in iurando, obtestando, precando. e) Coniungitur cum pronominibus personalibus, ut indicet agi rem sine alterius ope aut consilio vel non aliis rebus additis. Saepe accedit etiam *ipse* (v. Hand. Tursell. IV, p. 441). f) de modo rerum agendarum dicitur (per speciem, per occasionem sive occasiones, per iram, per ambages, per lasciviam, per causam, per contumelias (am), per iniuriam, neglegentiam, per otium, per virtutem, per commodum rei publicae, per procursationes, per simulationem, per dolum, per ludibrium, per iocum, per summum decus, per conloquia, per libidinem aut metum, per desperationem, per litteras, per errorem, per scelus, per excursiones, per errorem, per somnum vinumque, per fraudem, per vim, per furorem, per cavillationem, per gratiam, per insidias, per fallaciam, per vanitatem etc.). g) Nonnunquam *per* coniungitur cum nominibus rerum, quae cum actione quadam coniunctae sunt, eam comitantur quasi. h) *per haec* idem est quod: his rebus agendis, his rebus ita se habentibus (Hand. p. 445). i) *per* exprimit condicionem rerum, qua intercedente aliquid agitur. I, 9, 13 *per fas ac fidem decepti,* v. Grut. etc. k) *per causam* alicuius rei dicitur extenuata oratione ad indicandum id, quod aliquem commoveat ad agendum aut quo nomine aliquid efficiatur. Interdum etiam de praetextu usurpatur (Hand. p. 446). XXII, 61, 8 *per causam recognoscendi nomina.* II, 32, 1 *per causam renovati ab Aequis belli.* l) *per omnia* = in omnibus, omnino.

Post a) de loco. b) de ordine rerum dicitur et transfertur ad dignitatem ita, ut rem alteram maiorem, alteram minorem intellegamus. II, 56, 2 *post publicam causam privato dolore habito.* c) de tempore.

Praeter a) de loco dicitur. b) de rebus excedentibus vel contrariis vel alienatis: *praeter*

spem, praeter modum, praeter opinionem. c) exceptionem significat. d) dicitur de rebus, ad quas aliae accedunt.

Propter a) de loco dicitur. b) de causa.

Secundum a) de loco dicitur. b) de tempore, ut idem sit quod *statim post.* c) refertur ad dignationem et id exprimit, quod in serie quadam rerum ordine proximum est. d) respondet graeco *κατά* cum accus. coniuncto.

Supra a) de loco dicitur et de iis, quae per metaphoram pro loco accipiuntur, ut *supra modum, supra spem, supra vires.* b) de tempore. c) de numero.

In cum ablativo a) coniungitur cum nominibus locorum aut earum rerum, quae per metaphoram pro loco accipiuntur. b) Separatim commemorandum est *in* coniunctum cum nominibus terrarum (et urbium). c) usurpatur *in* de multitudine et de copia et de numero eiusque aliqua parte. d) *in* cum adiectivis iunctum, quod plerumque adiectivi aut adverbii sustinet notionem. Sic *in obscuro, in medio, in aperto, in dubio, in primo;* III, 8, 9 *cum exitus haud in facili essent; in difficili, in integro, in incerto, in promisc(u)o, in privato, in publico, in propinquo, in proximo, in occulto, in plano, in secreto, in angusto, in sicco, in tuto;* XXXVI, 16, 10 *in expedito haberent; in obvio, in operto, in aequo.* Referendum est huc etiam *in promptu.* e) Transfertur *in* a loci natione ad designandam actionem aliquam aut condicionem, in qua quid est, aut ita cogitanda est res, ut aliqua condicio aut actio quasi comitetur alteram actionem. Quae notiones alias temporali et condicionali particula aut verborum participiis enunciantur. (Verba sunt Kampanni de *IN* praep. usu Plautino p. 14). *Quo* pertinet etiam *in* coniunctum cum gerundiis et gerundivis. f) coniungitur cum notionibus temporis. g) *in* c. abl. coniunctum cum ponendi et collocandi similisque significationis verbis.

In cum accusativo a) coniungitur cum nominibus terrarum (et urbium) et cum voce *domus.* b) cum nominibus appellativis proprie ad indicandum motum ad locum aliquem, sive is est verus locus sive res per metaphoram pro loco accipienda. c) verba ponendi. d) *in orbem, in ordinem.* e) *in* exprimit studium, quo mens ducitur, et consilium alicuius rei assequendae aut eam rem, cui aliquid destinatum est (*in spem, in eventum;* I, 34, 3 *in nullam sortem bonorum nato; in gloriam; in aeternam memoriam; in mercedem; in perniciem* etc.). f) exprimit id, quo tendat oratio vel cogitatio vel iudicium, sive quo pertineat (Hand. p. 311). g) Usurpatur etiam de actione, quae aut benevolo aut inimico animo fit, ergo et pro *erga* et pro *contra.* h) = usque in I, 43, 5. i) *in rem esse* utilitatem et commodum significat. k) *in modum.* l) Similes locutiones sunt *in speciem, in haec verba, in leges* etc. m) *in* coniunctum cum subst. *pars.* n) *in vicem.* o) *in* usurpatur in divisione in singulas partes. p) Significationem habet distributivam *(in singulos, in capita* etc.). q) usurpatur *in* in mensura definienda *(in altitudinem. in longitudinem, in latitudinem patens* etc.). r) Adiectivorum generi neutri praefixum *in* haud raro, quamquam non semper, format notionem modalem, quae etiam adverbio exprimi potest. s) De *in* cum temporis notionibus diversis modis coniuncto vide Hand. p. 334 sqq. t) Usitatae sunt formae *in posterum, in futurum, in perpetuum, in aeternum, in praesens.* u) Separatim afferri potest *in annum,*

quod aut significat in tempus anni aut usurpatur de anno insequenti. v) item separatim afferri possunt *in diem* et *in dies,* de quarum locutionum differentia vide Hand. p. 339 sqq. w) *in* nonnunquam cum accusativo coniungitur, ubi ablativus exspectatur.

Sub cum ablativo coniunctum a) dicitur de loco, sive is est locus verus sive res per translationem pro loco accepta. b) de tempore. Item cum acc. et de loco et de tempore dicitur.

Super cum acc. coniunctum dicitur a) de loco. b) de eo, quod ad aliam rem accedit, id. q. *praeter.* d) de eo, quod mensuram quandam excedit.

Subter cum accusativo coniunctum duobus locis apud Livium invenitur, VIII, 9, 5 et XXXIV, 20, 6. Cum ablativo coniuncta haec praepositio apud Livium non legitur.

Ut iam ad *pronomina* nos convertamus, aliis omissis, quod ad pronomen *is* attinet, sufficiat dicere, et de genere eius (inprimis neutro), et de attractione et de ellipsi esse agendum. Pronomina demonstrativa *hic* et *ille* si in una enuntiatione consociantur, primo adspectu Livius ea ita usurpasse videri possit, ut *hic* ad id substantivum referatur, quod in enuntiatione prius est, *ille* ad posterius. Sed accuratius si rem spectas, *hic* potius de eo dici statuendum est, quod ei qui loquitur sive loco sive tempore sive cogitatione vel dignatione prius vel propius est, *ille* de altero. Hanc sententiam veram esse Kuehnastius p. 198 tredecim (nam in loco III, 64, 10 lectio incerta est) allatis locis Livii probavit, quibus addi possunt etiam hi: XXXIV, 18, 1 (Cato tempore propior est quam qui primi in Hispaniam venerunt); XXIX, 33, 10 (haec paucitas revera fuit praesidii Masinissae, illa multitudo quam non secum ducebat Masinissa, tantum ex cogitatione suspensa commemoratur); XXII, 22, 19; XXVIII, 19, 7, ubi Weissenbornius de Carthaginiensibus *illis* propterea dictum esse docet quod loco remotiores erant. Sed tres restant loci, ubi revera *hic* de eo, quod in enuntiatione remotius, *ille* de eo quod propius est a Livio usurpatum est: III, 72, 3: *hoc socios audire, hoc hostes. quo cum dolore hos, quo gaudio illos,* ubi *hoc* ad socios, *illos* autem ad *hostes* spectat; XXIV, 29, 3; XXIX, 22, 2: *terrestrem navalemque exercitum — hos decurrentis, classem in portu simulacrum — edentem navalis pugnae,* ubi *hos* itidem ad priorem notionem *terrestrem exercitum* pertinet. — Praeterea *ille* pronomen saepenumero de iis ponitur, quae sequuntur et accuratius demum describenda sunt, sic XXIII, 7, 3; III, 20, 8; XXXIV, 33, 14; XLIV, 33, 5; XLII, 41, 9; praef. 9; VIII, 18, 2; XXII, 36, 5; I, 23, 8 multisque aliis locis.

De *pronomine relativo* disputatio in sex partes dividenda est:

a) Significatio pronominis relativi.

1) Pronomen relativum in universum describit et exponit in enuntiatione secundaria notionem accuratius.

2) consilium exprimit.

3) causam significat.

b) Genus pronominis relativi. Hic primum constructio κατὰ σύνεσιν consideranda est (XLIV, 42, 7; XLIII, 7, 10). Deinde genus neutrum, quod similiter atque pronominis *is* saepe usurpatur aut collectiva aut generali et abstracta ratione, et in singulari et in plurali numero. Comme-

morandum erit etiam neutrum *quod,* si initio enuntiationis positum coniungitur cum particulis *si, ubi, ut, cum* ad transitum faciendum ab una enuntiatione ad alteram. Tum si pron. relativum ad complura substantiva aut res significantia aut diversi generis refertur, ponitur neutrum pluralis numeri *quae.* Cum appositione concordat pron. relativum in genere XLIV, 6, 5. Memorabile est genus femininum in loco XXXVII, 54, 11, ubi additamentum *quaeque circumiacent* cum v. *Chersonesus* unam notionem efficiunt et deinde femininum *quarum* positum est, quoniam notio regionum obversatur. Denique etiam attractio generis in pronomine relativo usitata est, non secus atque in demonstrativo, interdum tamen etiam neglecta.

c) Numerus pron. relat. Hic primum constructio *κατὰ σύνεσιν* notanda est in nominibus collectivis, ut XXIII, 39, 8 *plebs — quibus;* XXXVI, 11, 9 *Leucadios, quod Acarnaniae caput est* (int. *Leucas*). Deinde singularis pron. rel. usurpatur post praegressum pluralem substantivi significatione collectiva XXXVIII, 21, 6 v. W.; XLV, 33, 4. Abstracta significatione dictum est XXXVII, 54, 24 *barbari — quo gaudent, reges habent.* Pluralis autem post singularem infertur, si genus significatur, quo singula quaeque pertinent. IV, 58, 4 *senatu — qui — cogitaverunt.* XXII, 57, 3 *L. Cantilius scriba pontificis, quos nunc minores pontifices appellant,* ubi *quos* pertinet ad notionem *scriba.* XXVII, 11, 5 *infantem, quos androgynos vulgus appellat.* XXIV, 15, 7 *eques — quibus.* XLI, 2, 2 *quicquam — quae.*

d) Collocatio pronominis relativi. Ut vis adderetur, ab initio enuntiationis positum est pron. relat. IX, 38, 12. Saepe pron. rel. ad remotius duorum substantivorum spectat, deinde enuntiatio relativa saepe antecedit eam enuntiationem, ad quam pertinet, denique pronomen rel. non semper ab initio, sed saepe etiam post unum aut complura demum vocabula enuntiationis relativae ponitur.

e) Attractio pronominis relativi. Saepissime substantivum, quod pronomine relativo definiendum erat, cum eo in eodem casu positum in eandem enuntiationem (secundariam) coniungitur. I, 1, 3 *in quem primo egressi sunt locum Troia vocatur.* IX, 17, 2 *quibus — tacitis cogitationibus volutavit animum, eas* etc. XL, 20, 3. I, 29, 4 *raptim quibus quisque poterat elatis.* IV, 39, 9 *quibus poterat sauciis ductis secum.* XXV, 32, 10 *cum quibus ante dictum est copiis* = cum iis copiis quas eum accepisse ante dictum est. XXVIII, 46, 5 *qui ager — is.* IV, 4, 10 *in quam cuique feminae convenisset domum nuberet.* V, 34, 3 *in quas dii dedissent — sedes.* VII, 5, 5 *nisi in quae ipse concepisset verba iuraret* = in (ea) verba, quae. § 6 *adiurat in quae adactus est verba.* 25, 9. VIII, 28, 2. IX, 17, 2 *quibus — tacitis cogitationibus — eas.* XL, 31, 9. XXI, 17, 4. XLII, 28, 7. XXI, 18, 10 *quod C. Lutatius — nobiscum foedus fecit — negastis vos eo teneri.* XXIV, 1, 9. XXVII, 42, 16. XXXI, 44, 1. XXI, 49, 4 *cuius ipsi classis essent.* XXII, 12, 3 *quo primum die.* 14, 6 *praeter quam — oram — eam.* XXIII, 9, 2. 21, 5. XLII, 56, 4. XXIII, 46, 8 *cum quibus venerat copiis.* XXIV, 7, 11. XXV, 7, 11. XXVIII, 5, 6. XXIX, 35, 7. XXXI, 2, 6. XXXVI, 21, 9 *quibus diis ei videretur.* 37, 5. XXXVII, 3, 5. XL, 19, 4, XXXVIII, 44, 5. 54, 7. XLI, 3, 10. XLII, 33, 6 etc. Inversam habes attractionem XLII, 34, 14 *ordine quo me dignum iudicent* etc. Nonnunquam tamen attractio

non adhibetur, si substantivo maior vis additur. Sic I, 44, 4 *locus, quem.* IV, 46, 10 *vir cuius.* IX, 29, 9 *gens, cuius.* XXIII, 7, 4 *vir cui* etc.

f) Repetitio pronominis relativi, cuius exempla afferre nunc supersedeo.

Si in enuntiatione bimembri pronomen relativum priori tantum membro appositum est, aut in altero membro ex priore alio casu mente est repetendum, aut alterum membrum convertit se in formam enuntiationis demonstrativae. Utrumque iam apud Graecos factum videmus, vide Bernh. synt. graec. p. 304. Sic prius factum est apud Livium IX, 1, 9; X, 26, 6; XXXVI, 7, 4, ubi in priore mente est *quibus,* ad alterum mente addendum est *qui.* Altera autem ratio adhibita est I, 31, 3; XXIII, 8, 3 *cum quo — nec eum* etc.; 36, 10; XXI, 46, 10.

Pauca tandum de reliquis pronominibus addere hoc loco libet. *Quisquis* pronomen exuta significatione relativa adsciscit nonnunquam sign. pronominis *quisque:* III, 37, 7 *cum fortuna, qua quidquid cupitum foret, potentioris esset;* VIII, 38, 11 *in suo quisquis gradu obnixi — pugnabant;* XXV, 29, 6 *quo quisquis terra quisque mari venerit;* XXXVIII, 17, 13 *generosius in sua quidquid sede gignitur.* — *Quicumque* aut est pronomen relativum coniunctum cum verbo finito aut omisso eo ponitur in contracta enuntiatione, ut nonnunquam plane se convertat in significationem vocum *quivis, quilibet,* sic I, 3, 3; IX, 9, 11; X, 13, 3; XXII, 58, 5; XXXV, 13, 9; XXXIX, 10, 8; XL, 13, 1; XLV, 23, 6; I, 39, 5; III, 40, 7; IV, 39, 3; X, 18, 1; XXXVI, 7, 3. Denique pronominis *ullus* et genetivus et dativus et ablativus casus in singulari numero saepe a Livio pro substantivo usurpantur (cf. Kuehnast. I, p. 47), semel adeo (II, 59, 7) *(nemo ullius nisi fugae memor)* genetivus generis neutri, itidem *ullis, ullos* numero plurali.

In altera sectione syntaxis notionum praedicati tractabitur, verbi et adiectivi, ac primum quidem agetur de omissione verbi substantivi *esse,* deinde de variis generibus praedicati, quatenus id est aut substantivo aut adiectivo aut adverbio expressum. Sequitur syntaxis verbi et ita quidem, ut primum agatur de notione atque generibus verbi in universum. Distinguendum est inter activam significationem et passivam, illa complectitur notionem transitivam et intransitivam et in activi forma et in deponentiali. Activum saepe non id significat, quod subiectum ipsum facit, sed quod per alium faciendum curat sive efficit ut fiat. Activa verborum *coepi* et *desino* saepe a Livio cum infinitivis passivi coniunguntur. Infinitivus activi interdum ponitur post verbum *iubere,* ubi passivum exspectas, si persona, quae ad actionem quandam perficiendam destinata est, reticetur. Constituendus est deinde index verborum, quae et transitiva et intransitiva significatione a Livio usurpantur. Ad deponentialem usum est etiam referendum, quod participia nonnulla perfecti passivi a verbis activis formata sunt significatione activa, plerumque intransitiva (adultus, exoletus, obsoletus, concretus, iuratus). Deponentia saepe passiva significatione usurpantur. Passivum saepe aut significatione simpliciter reflexiva ponitur, aut significat sinere aliquem neque impedire quo minus se aliquid fiat, aut denique curare, ut se aliquid fiat. Promiscue a Livio dicitur *receptui canere* et *cani.* Inter *ellipses* verbi primum commemoranda est omissio verbi cogitandi vel dicendi in apodosi praegressa enuntiatione per *si, ne* etc. elata. Deinde in universum verborum dicendi; verborum *facere, fieri, agere.* Frequentissimae sunt formulae *nihil aliud, quid*

aliud, nihil prius omisso verbo faciendi. Denique etiam verba sentiendi et cogitandi nonnunquam omittuntur et alia, vide Drak. ad II, 51, 4.

Infinitivus primum locum tenere potest subiecti. Deinde usurpatur in narratione nulla personae vel numeri significatione, qui vulgo dicitur infinitivus historicus. Saepe hic immiscetur formis verbi finiti, nonnunquam ponitur in apodosi, nonnunquam sequitur adeò coniunctionem *cum*. Tertio loco tractandus erit nominativus cum inf., quarto infinitivus loco positus obiecti, sive id est propius sive remotius, quinto accus. c. inf., sexto inf. in exclamatione positus.

Tum dicendum erit de gerundio et gerundivo. In gerundivo ita nonnunquam praevalet notio temporis futuri, ut participio perfecti passivi ex adverso positum sit. Sic praef. 6 *quae ante conditam condendamve urbem — traduntur;* XXII, 25, 4 *rei bene gerendae — gestae;* XLII, 17, 7 *se daturum quod nec in dando nec datum ullo signo deprendi posset;* XXI, 21. 8 *inter labores aut iam exhaustos aut mox exhauriendos;* XXVI, 48, 2 *capienda urbe — capta.* A verbis, quae non sunt transitiva, per gerundivum dictum est VIII, 36, 7 *medendis corporibus;* XXVII, 15, 9 *ad rem ingentem potiundam.* Gerundivum non semper solam actionis notionem continet, quae verbo est expressa, sed necessitatis notionem sibi habet adiunctam, cum qua haud raro se coniungit significatio consilii. Eo pertinent praeter cetera etiam omnes ii loci, quibus nominativus gerundivi cum verbo *esse* est coniunctus, item gerundii nominativus (nam hic nihil aliud est nisi neutrum gerundivi) sive accusativus in constructione accus. c. inf., postremo acc. gerundivi positus post verba *dare, curare* ad consilium exprimendum. Denique nonnunquam gerundivum adeo in merum adiectivum se convertit. De coniunctione gerundii cum accusativo obiecti in universum vide Drak. ad XXIV, 39, 1, Weissenborn. de gerundio et gerundivo p. 113 sqq. De accusativo duo exempla inveniuntur XXX, 9, 6 *ad opprimendum stationem,* et XXV, 16, 10 *ad quam perficiendum,* ubi vide W., de ablativo unum, XXX, 13, 9 *in adloquendo victorem.* Cum *in* praep. coniuncti accusativi gerundivi singulare exemplum extat XXI, 21, 10 *partiens curas — in inferendum atque arcendum bellum.* De mixto gerundivo cum aliis constructionibus vide Drak. ad XXVII, 33, 9.

Converto me nunc ad *doctrinam temporum.* Tempus praesens saepe de actionibus usurpatur, quae quovis, nonnunquam ne definito quidem tempore fieri possunt, quas fieri experientia edocti scimus sive animo certissime persuasum habemus, de actionibus, quarum effectus in perpetuum manet quaeve saepius repetuntur, Deinde cum in limite quasi temporis praeteriti et futuri positum sit, complectitur saepe alterutrum horum temporum. Itaque dicitur de actionibus praeteritis, quarum eventus nunc apparet quemque nunc oculis quasi contemplamur, de actionibus, quae ex longo tempore et etiam nunc fiunt. Ad futurum autem tempus quod attinet, dicitur praesens de ea actione quae in eo est ut fiat, porro de conatu, de actione quae iam nunc fit et postero quoque tempore fiet, in interrogationibus cum animi motu vel indignatione prolatis. In enuntiatione condicionali haud raro cum *si* particula coniungitur praesens, cum in apodosi sequatur futurum, ut significetur actionem certe et mox eventuram esse. Participium nonnunquam *ἀορίστως* usurpatur, nonnunquam de actione infecta, nonnunquam etiam de conatu, infinitivus autem de

re praeterita, sed quae tanquam praesens animo repraesentatur, post verbum *memini*, de re futura nonnunquam post verba, ubi plerumque tempori futuro locus est, velut *polliceri, sperare*, denique si magistratus refert de aliqua re, item in senatus consultis et populi scitis. Praesens historicum aut per se ponitur aut pendens a coniunctionibus, maxime *dum*. Non raro in eodem orationis tenore variat cum temporibus praeteritis, inprimis perfecto vel imperfecto.

Imperfectum in narrationibus describit eas actiones, quae sunt minoris momenti quaeque per longius temporis spatium extenduntur; in universum dicitur de durante actione deque saepius repetita. Si duae actiones inter se cohaerentes describuntur, imperfectum usurpatur de ea actione quae in idem cum altera actione tempus cadit. Dicitur etiam de conatu deque iis actionibus quae prope absunt ab eo, ut fiant, item de actione infecta necdum ad finem perducta. De durante actione usurpatur etiam post temporis particulas, velut *postquam, ut, cum*. In coniunctivo imperfectum a particula condicionali pendens saepe de re praeterita dicitur, ut significetur enuntiationem sumptivam in idem tempus cadere atque apodosin. In oratione obliqua de re praeterita licet in enuntiationibus secundariis coniunctivi praesentis positi sint, enuntiationes adhortativae s. imperatoriae fere semper habent imperfectum. Praeterea imperf. coni. significatione potentiali usurpatur de re praeterita, condicionali de re praesenti.

Perfecti coniunctivus concordat plane in significatione cum indicativo, usurpatur tamen etiam in significatione potentiali et imperatoria. *Infinitivus* perfecti praeterquam quod inf. est temporis vere praeteriti, nonnunquam etiam condicionali significatione, non raro etiam per antecedens pro inf. praesentis usurpatur.

Ut omittamus plusquamperfectum, futurum et coniugationem periphrasticam, convertamus nos ad consecutionem (s. convenientiam) temporum. Saepissime Livius post tempus praeteritum pro temporibus praeteritis (imperf. et plusq. coniunctivi) tempora praesentia (praes. et perf.) ponit, ut res tanquam praesentes animo eius qui audit vel legit proponat; sententiae adhortativae tantum in oratione obliqua fere semper imperfectum coniunctivi retinent. Enuntiationes consecutivae, quae est earum natura, liberrimam habent consecutionem temporum; si perfecto coniunctivi enuntiatio consecutiva est expressa, fere primariae enuntiationis vim nanciscitur. Plurimis in locis Livius mixtam habet consecutionem temporum, ut in una eademque periodo saepissime tempora praesentia cum praeteritis varient. Plerique grammatici in describenda consecutione temporum in eo peccant, quod non distinguunt inter varia genera enuntiationum secundariarum. Sunt autem separatim tractandae:

a) interrogationes obliquae earumque formam habentes enuntiationes obiectivae pendentes ex verbis sentiendi et dicendi.

b) enuntiationes obiectivae, quae exprimunt fieri aliquid, effici, prodire ex eo, quod verbum regens significat, elatae per coniunctiones *ut, ne, quin*.

c) enuntiationes finales.

d) en. consecutivae.

e) en. causales et concessivae.

f) en. condicionales.

g) en. temporales.

h) enuntiationes relativae.

Tum agendum erit de *modis* et primum quidem de indicativo. Usurpatur autem ind. de rebus, quae tamquam certae ponuntur nec aliunde cogitatione pendentes pronuntiantur. Ponitur itaque etiam in iis enuntiationibus secundariis orationis obliquae, quae per se constant nec aptae sunt e verbo primario enuntiationis, velut in iis, quae ipse scriptor e sua mente tanquam suam sententiam pronuntiare cogitandus est, nonnunquam etiam ubi transitus fit ab obliqua oratione ad rectam. Deinde praeter alia commemorandus est indic. positus post voces relativas universales *quisquis, quicumque, utcumque,* post coniunctiones *antequam, priusquam* et *cum* temporale, coniunctus cum adverbio *prope,* nonnunquam etiam cum *non quia* et, quamquam rarius, cum *quippe qui,* ubi coniunctivus est usitatior. Postremo tractandus erit indicativus hypotheticus, qui aut per se ponitur in simplici enuntiatione aut in composita, et in hac quidem ita, ut aut et enuntiatio sumptiva per *si* elata et apodosis, aut sola enuntiatio sumptiva aut sola apodosis habeat indicativum. — Ut praetermittam imperativum et tria genera coniunctivi non pendentis aliunde, iam coniunctionum *ut, ne, cum, dum* usum varium commemorabo. *Ut* coniunctio a) ponitur in enuntiationibus obiectivis quae exprimunt fieri aliquid, effici, prodire ex eo quod enuntiatio primaria significat. b) Post praedicatum, in quo comparativus est, alterum praedicatum aut per solum *quam* sequente coniunctivo infertur, aut per *quam ut.* c) *ut* consilium exprimit (*ut* finale). d) *ut* consecutivum. e) *ut* concessivum. f) *ut* ponitur in interrogationibus indignationis. g) *ut* haud raro in una eademque enuntiatione aut perspicuitatis causa aut ut maior vis addatur sententiae, repetitur, sive id fit in enunt. unum membrum habente, sive in utroque membro bimembris enuntiationis. E contrario non repetitum est *ut* V, 11, 9 *omnia fieri ut consenescat ad Veios iuventus, nec de agris — ferre ad populum tribuni — possint.* XXII, 1, 18 autem post verbum *decretum est* sequuntur complures enuntiationes per solum coniunctivum sine *ut* coniunctione elatae, in postremo demum positum est *ut.* h) dicendum est de collocatione coniunctionis *ut. Ut* non raro post unum vel plura vocabula ponitur; ἀνώμαλος autem et prope dixerim ἄλογος est collocatio II, 27, 2 *ut aut referret – aut ut auxilio esset,* item XXXVI, 16, 10 *ut, sive — sive — ut,* quod contra recte et usitato more XXXVII, 10, 6 dictum est *nec ut — nec ut.* Paulo remotius ab orationis initio positum est *ut* II, 38, 2, v. Alsch. Nihil offensionis habet collocatio vocis *ut* XXXVII, 3, 5, v. W.; paulo insolentior autem est XLII, 3, 5, v. W. i) *ut ne* ita dicitur, ut *ne* non sit coniunctio, sed antiquum adverbium, quod maiore cum vi pro *non* dicitur, v. Hand. Tursell. IV, p. 32.

Ne coniunctio cum coniunctivo coniuncta. a) Praeterquam quod *ne* apponitur imperativo et coniunctivo imperatorio et concessivo, ponitur in enuntiatione quae pendet ex alia, qua consilium vel mandatum vel votum expressum est, quae aut animi voluntatem aut actionem aliquam declarat e consilio prohibendi vel impediendi profectam (sic Hand. Tursell. IV, p. 40). Nonnunquam tamen verbum, ex qua *ne* pendet, ex superioribus repetendum aut adeo ex tota enuntiationis conformatione mente repetendum est, nonnunquam est tantummodo epexegeticum, cum ea sententia, quae

per *ne* particulam exprimitur, iam in superioribus exposita sit (sic I, 33, 3). b) Separatim afferri possunt eae voces, quae timorem significant. c) *ne* in oratione obliqua additur adhortationibus. d) *ne* ita ponitur, ut non sit aptum e verbo aliquo praegresso, sed per se extantem efficiat enuntiationem, quae significationem habet consilii. e) *ne* nonnunquam repetitur. Alio modo conformati sunt hi loci: IV, 4, 11 *(ne — nec — ne)*, v. Drak. II, 32, 10 *(ne — nec — nec)*. XXXVIII, 4, 10 *(ne — et non)*. XXXVII, 53, 6 *(ne — neve non solum — sed etiam ne)*, v. W.

Cum coniunctio cum coniunctivo iuncta. a) *cum* temporale, per quod saepe etiam repetita actio indicatur. b) *cum* cum coni. describit tantum statum rerum fere nulla temporis ratione habita aut comparat rationes rerum duarum sive actionum, interdum dicitur etiam de actione, quae in idem cum altera tempus incidit. c) *cum* causale. d) Diversum est ab eo *cum epexegeticum* quod dicere possis, quo singularis quaedam notio enuntiationis explicatur et describitur. e) *cum* concessivum.

Ad analogiam coniunctionis *cum* etiam particula temporis *ubi* in actione repetita cum coniunctivo imperfecti et plusquamperfecti coniungitur. *Postquam* uno loco XXII, 1, 2 ad analogiam vocis *cum* cum coni. est coniunctum: *postquam — viderent*. *Quamquam* tribus locis in enuntiationibus non aliunde pendentibus cum coniunctivo iunctum est, XXXVI, 34, 6; XXXVIII, 9, 11; XLV, 17, 7.

Dum coniunctio a) ponitur in actione, quae in idem cum alia actione tempus incidit. Nulla alia causa intercedente ponitur indicativus, sed nonnullis tamen locis sine hac causa ad analogiam vocis *cum* coniunctivus usurpatus est. b) de actione dicitur in idem tempus cum alia incidente ita ut terminus indicetur, ad quem cum altera actio pervenit, utraque desinit. XXI, 53, 9. c) ponitur, cum terminus, ad quem aliqua actio produci dicitur, id indicat, quo quis de consilio tendit (= donec, usque dum). d) refertur ad condicionem, qua aliqua sententia vel res coercetur. e) nedum.

Coniunctivus post coniunctionem *quod* praeter eas sententias, in quibus non obiectiva causa exprimitur, sed e mente alterius pronuntiata, quae pertinent ad orationem obliquam, tum ponitur, cum causa non vera, sed e cogitatione tantum suspensa significatur. Uno tantum loco sine tali causa *quod* coniunctivo est coniunctum, V, 1, 6, quod fortasse ad analogiam *cum* causalis factum est.

Spectemus deinde coniunctivum in enuntiationibus relativis. a) ad analogiam vocis *cum* in en. relativis coniunctivus ponitur, si actio describitur repetita. b) si consilium exprimitur. c) Enuntiatione relativa qualitas personae vel rei describitur. d) Enunt. rel. consecutivam habet significationem. e) Pron. relat. post *dignus* et *indignus* adnexum habet coniunctivum. f) Pronomen relativum cum coniunctivo coniunctum limitantem et restringentem habet significationem. g) Enuntiatio relativa causam continet. h) En. relativa significationem habet concessivam.

Ad extremum spectandus erit coniunctivus in enuntiationibus secundariis, quae pendent ex oratione obliqua vel aliis enuntiationibus, quae habent coniunctivum. Huc pertinet etiam oratio obliqua contracta et coartata, quae formam habet orationis rectae, ubi si sententiae proferuntur non ex mente scriptoris, sed alterius dictae cogitandae, coniunctivo locus est.

Sequitur deinde disputatio de numeris et personis verbi. Ut personas et verba impersonalia activa et passiva hoc loco praetermittamus, videamus tantum de numeris et primum quidem de singulari. a) Singularis verbi ponitur, ubi et subiectum et praedicatum in singulari sunt posita. b) Subiectum in singulari, praedicatum in plurali, verbum in singulari est positum. c) Complura subiecta coniunguntur cum singulari verbi. d) Subiectum in plurali, praedicatum in singulari est positum, sed ita ut nonnunquam nil nisi appositionem contineat subiecti. XXXIV, 22, 9 *ut — vestrae iniuriae satis digna causa belli fuerit.* XLIV, 4, 2 *hostes levis armatura erat.* I, 7, 1 *Priori Remo augurium venisse fertur sex vultures* (appositio). XXII, 45, 7 *iaculatores — prima acies facta* etc. e) Singularis imperativi interdum usurpatur inprimis in orationibus, ubi orator ad unum tantum ex multitudine loco omnium se convertit. Sic VI, 40, 11; XXXI, 7, 10 *compara;* XXXVIII, 47, 11 *agedum;* 49, 1 *dic;* X, 25, 6. f) De de ipso dicit Livius III, 67, 1 et IV, 54, 4 *accipio,* XXXVIII, 47, 1 *accepi;* pluralem *accepimus* usurpat III, 39, 1; 69, 8; V, 34, 1.

Pluralis verbi a) ponitur aut post unum subiectum plurale aut post complura subiecta, sive ea omnia in singulari posita sunt sive mixta cum pluralibus. b) si subiectum est nomen singulare, praedicatum nomen plurale, ad quod genus refero etiam pluralem verbi nonnunquam per attractionem positum. I, 5, 1 *quibus — nihil praeter arma et naves superessent.* X, 6, 5 *quorum honoribus nihil praeter sacerdotia deessent.* I, 1, 3 *gens universa Veneti appellati.* 8, 7 *patriciique progenies eorum appellati.* IX, 8, 5. XXXIX, 9, 3. XLV, 43, 10. XXX, 3, 6. XLII, 51. 3. 11. c) si subiectum est nomen plurale, praedicatum constat ex uno vel duobus subst. in singulari positis. XXI, 15, 1 *captivi militum praeda fuerant.* XXVI, 21, 9. II, 3, 5, d) Pluralis per synesin ponitur. e) post collectiva, quo referenda sunt etiam nonnulla pronomina, velut *quisque, alius alium, nemo.* f) Memorabilis est usus pluralis XL, 8, 2 *petimus,* ubi Perseus se solum significat.

Syntaxis adiectivi. a) Adiectivum pro adverbio positum (*serus, repens, sublimis abiit* IX, 16, 7 = 34, 9; *laetus, quietus, segnis, libens, tacitus, voluntarius; prospera evenissent* XXI, 21, 7; *subitus, frequens* etc.). b) Adiectivum et adverbium in una enuntiatione inter se coniuncta. II, 30, 11 *effusi et contemptim;* XXXVI, 23, 4 *frequentes et inpigre — pauciores et segnius.* X, 36, 5 *et inpigre — et plures.* XXVII, 12, 15 *trepidi — segniter;* XXXIX, 53, 11. c) Si substantivum genetivo expressum ab alio subst. pendet, adiectivum saepe non ei substantivo additur, ad quod proprie erat referendum, sic I, 1, 4 *ad maiora rerum initia;* 4, 4 *ad iusti cursum — amnis;* 9, 13 *violati hospitii foedus* etc. d) Duo adiectiva inter se coniunguntur, ita ut alterum nonnunquam sit loco substantivi, aliis locis unum adiect. cum substantivo unam efficit notionem, ad quam accuratius definiendam deinde alterum adiectivum accedit (I, 14, 7 *densa obsita virgulta,* v. Drak. et W.; *adsidua insidens cura; agrestes pavidi incidentes* etc.). e) Unum adiectivum ad complura substantiva pertinet. f) Adiectivum convertit se in significationem substantivi.

Genus adiectivi. Saepissime adiectivi genus *κατὰ σύνεσιν* ponitur, ut IV, 45, 1 *servitia — armati;* X, 1, 3 *capitaque coniurationis — virgis caesi ac securi percussi;* 2, 11 *pars capti.* Si substantiva diversi generis, inter quae masculinum est, inter se coniunguntur, in adiectivo,

sive id est attributum, sive in praedicato positum, genus masculinum, utpote cum sit praecipuum, ceteris generibus praevalet, ut XXI, 50, 11 *rex regiaque classis una profecti;* XXV, 11, 19 *iumenta — et homines contracti;* XXVI, 12, 11 *se — et praesidium — proditos;* XLII, 20, 5 *taurum cum quinque vaccis — exanimatos;* XLV, 28, 11 *filiam cum minore filio — accitos* etc.). Saepe tamen genus adiectivi congruit cum substantivo propiore.

Extremo loco de gradatione adiectivi agendum est, quam nunc omitto: unum tantum commemorare sufficiat, Livium interdum duplicem comparationem instituere in una eademque enuntiatione sic IV, 9, 3; 23, 6; XXI, 44, 3; XXII, 8, 3; XXVII, 14, 10; XXXV, 12, 10.

Perventum est ad tertiam sectionem syntaxis, quae agit de doctrina enuntiationum. In qua primum omnium tractanda est *breviloquentia* (*βραχυλογία*), cuius primum genus est asyndeton, hoc autem iterum triplex, aut enuntiationum aut duorum nominum (vel adverbiorum) aut plurium. Alterum genus breviloquentiae existit, si in duabus enuntiationibus verbum, quod ad utramque spectat, semel tantum ponitur, ita ut in altera sit mente repetendum. Tertium genus est zeugma, cuius vis in eo posita est, ut unum verbum ad singula membra enuntiationis referatur. Saepe negativam enuntiationem sequitur altera, ad quam verbum affirmativum mente addendum est.

Convertamus nos iam ad collocationem verborum. a) primum afferendae sunt collocationes sollemnes. b) Cognatarum notionum una iuxta alteram ponitur. c) in nonnullis variat collocatio verborum. Nomen gentile nonnunquam ante praenomen ponitur, nomen familiae vel gentis ante cognomen, nonnunquam inversa ratione cognomen ante nomen gentis vel familiae. d) Vocabula ab initio orationis ponuntur, qua collocatione saepe vis iis additur. e) Notio quaedam post alias notiones vel adeo in extrema enuntiatione ponitur, ut vis ei addatur. f) Notionibus eo, quod aliis verbis interponuntur, vis additur. g) separando et dirimendo notiones unam ab altera vis iis additur. h) frequentissima apud Livium ea collocatio verborum est, quae fit per chiasmum. i) Memorabilis est collocatio verb. in interrogatione XXXIII, 13, 6 *quid? nobis inquit Philippe, reddisne* etc. k) collocatio complurium adiectivorum ad unum substantivum pertinentium IX, 2, 7 *satis patens clausus in medio campus herbidus aquosusque.* l) collocatio adverbiorum. m) Vocabula pertinentia ad nomina, quae ex praepositionibus apta sunt, saepe ante praepositionem ponuntur. n) Copula interdum minore vel maiore intervallo a praedicato seiuncta est. o) Saepe invenitur apud Livium collocatio verborum liberior et insolentior adeoque implicatior, quae dicitur *synchysis.*

In formandis *enuntiationibus primariis* duo potissimum idiomata observanda sunt, primum *attractio* substantivi, quod proprie ad enuntiationem secundariam pertinet, in en. primariam, alterum, ut impersonalis structura, ut ita dicam, mutetur in personalem, sic XXVII, 37, 5 *quod is quoque —* **incertus,** *mas an femina esset, natus erat.* XXX, 35, 9 *Italicos,* **incertos,** *socii an hostes essent.* XXXI, 12, 6 *in Sabinis* **incertus** *infans natus masculus an femina esset.* XXXIV, 19, 8 *cum* **incerta** *bellum an pax cum Celtiberis essent.* Nonnunquam enuntiationes primariae ponuntur, ubi exspectas secundarias. Sic II, 13, 8 *quem ad modum* seq. accusativo cum inf., XXVI, 27, 12 *quia* seq. acc. c. inf., XXXIII, 45, 7 *ut feras quasdam nulla mitescere arte.* Nonnunquam enuntiatio relativa per coniunctionem copulativam coniungitur cum enuntiatione

primaria, I, 31, 3; IV, 30, 14; XXI, 46, 10 v. W.; XXIII, 8, 3; 36, 10. Saepe etiam a Livio fit transitus ab oratione obliqua in rectam.

Enuntiationis secundariae vice fungitur *participium,* quod aut ad substantivi aut ad adiectivi aut ad verbi significationem propius potest accedere. Participium perfecti passivi cum substantivo coniunctum unam cum eo notionem efficit, quae est pro substantivo abstracto, item neutrum huius participii per se solum vice fungitur substantivi verbalis (I, 34, 4 *ducta in matrimonium Tanaquil;* XXXIX, 51, 1 *receptus — Hannibal;* I, 53, 1 *degeneratum,* v. Drak.; VII, 8, 5 *diu non perlitatum;* XXIX, 10, 4 *propter crebrius eo anno de caelo lapidatum* etc.). Duo vel plura participia (pro quorum uno etiam adiectivum positum esse potest) haud raro *ἀσυνδέτως* coniunguntur. Participia cum ablativis absolutis interdum per coniunctionem copulativam vel disiunctivam coniunguntur. Participium perfecti passivi de re praeterita saepe ita usurpatur, ut non id tempus respiciatur, quo res gesta est, sed eius qui rem narrat *ἀορίστως,* ut ita dicam. Aliis contra locis participium ponitur de actione praeterita ita, ut ratio habeatur eius temporis, in quod actio primaria incidit. Separatim deinde tractandae erunt enuntiationes interrogativae, denique particulae, quae maximi sunt ad orationem conformandam momenti. Nonnullarum ex his usum varium in extrema hac disputatione adiciam et ita quidem, ut initium faciam ab adverbiis loci.

Inde a) de loco dicitur, unde aliquid exit vel emittitur. b) ad res refertur, a quibus loci notio non aliena est, sive ad ea, unde quid originem ducit. I, 1, 3. 18, 5 *rege inde* (= ex iis) *sumpto.* II, 32, 8 *inde* (h. e. ex plebe) *oriundus erat.* 39, 6 *ut discordia inde — oreretur* etc. c) partitiva usurpatur significatione. d) notionem habet causae. e) significatio loci transfertur ad tempus, ut idem sit, quod *deinde.* f) continuum et universum tempus designat, ubi plerumque praep. *ab* cum nomine sequitur. I, 2, 3 *iam inde ab initio* etc.

Hinc a) de loco dicitur. b) opponitur *illinc,* cum quo saepe coniungitur. c) *hinc — hinc.* d) ad personas vel res transfertur et habet interdum etiam significationem causae. e) loci significatio transfertur ad tempus.

Ubi a) de loco dicitur, in quo aliquid est. b) significatio loci transfertur ad ipsas res vel personas rerumque condiciones, ut ponatur pro praepositione cum pronomine relativo. c) significatio loci transfertur ad tempus.

Ibi a) dicitur de loco et de rebus, a quibus notio loci non aliena est. b) transfertur ad ipsas res rerumque condiciones. c) de tempore dicitur.

Alibi a) de loco dicitur, ubi nonnunquam semel vel bis repetitur. b) per translationem dicitur pro *aliis in rebus.*

Prope a) de propinquitate loci usurpatur. b) coniungitur cum verbo *esse,* ut indicetur, paullum abesse quin aliquid fiat. c) de eo dicitur, quod prope est ut sit aut fiat, ut fere idem significet quod *ferme, fere.*

Contra a) dicitur de loco = ex adverso, e regione. b) usurpatur, si res vel personae inter se opponuntur. c) dicitur de motu ex loco adverso et actionibus, quae ex altera parte diriguntur, qua signifiatione cum verbis coniungitur et interdum hostilis animus exprimitur (v. Hand. Turs. II,

p. 113 sq.). III, 15, 2 *contra tribuni tendebant.* VI, 39, 17 *venire contra.* XXI, 58, 3 *contra enitentes.* XXVII, 42, 8 *signa contra efferre.* XXXIV, 28, 7 *postquam nemo — contra exibat.* 46, 7 *contra egrederetur* etc.

Ultra a) de loco dicitur. b) de tempore. c) idem significat ac voces *magis, plus, amplius, aliud, praeterea.*

Eo a) de loco dicitur. b) de tempore. III, 65, 4 *usque eo rogaret, dum* etc. XXII, 57, 3 *eo usque* = XL, 8, 18. XXIII, 19, 14 *eone usque, dum* etc.

Porro a) de loco proprie et metaphorice usurpatur. b) in argumentando XXVIII, 42, 12 *quid porro?* c) de tempore.

Protinus proprie de loco dicitur, plurimis tamen in locis significatio loci transfertur ad tempus, nonnunquam dubium est utra ratione sit accipiendum.

Accedo ad adverbia temporis. *Quando* a) temporis habet significationem. b) significatio temporis se convertit in sign. causae, ut idem sit quod *quoniam, quandoquidem.*

Quandoque a) est relativum VIII, 7, 15 = quando, quoniam. Ceteris locis significationem habet *quandocunque.* b) indefinitum uno loco XXI, 3, 6.

Tum a) significat in idem tempus actionem incidere atque aliam, ut sit *hoc, illo, eo tempore.* b) actionem significat, quae post aliquid fit, ut sit *post hoc tempus.* c) ponitur initio apodosis aut praegressis coniunctione temporis sive condicionali aut participio, ut Graecae particulae *εἶτα, ἔπειτα, οὕτως.* d) ponitur in serie rerum enumeranda. e) intensivam habet significationem, plerumque praegressa *cum* particula.

Tunc eadem fere ratione usurpatur, qua *tum.* Ponitur etiam post condicionalem enuntiationem, ut opponatur verus rerum status sumptioni ficti.

Nunc a) significat tempus, quod ei, qui loquitur, praesens est. b) *etiam nunc* III, 46, 2. X, 5, 5. c) *nunc iam* V, 2, 10. 17, 7. VII, 32, 14, ad q. l. vide Drak. X, 19, 8. Ordine inverso *iam nunc* III, 40, 12. d) ponitur, similiter atque *tunc,* post sumptionem ficti. e) ponitur post praesens historicum vel in oratione obliqua de tempore praeterito, sed quod animo scriptoris tamquam praesens obversatur. f) *nunc — nunc.*

Adhuc a) dicitur de tempore praesenti. b) de tempore praeterito, quo pertinet etiam, si in oratione obliqua res tamquam praesens animo repraesentatur.

Iam a) de tempore dicitur et saepissime exprimit id, quod exspectationem praecurrit et non exspectatum, sed praemature vel ex improviso factum est (Hand. Tursell. III, p. 117), alibi certum punctum temporis, in quo aliquid fit aut factum est, designat (Hand. p. 113), nonnunquam etiam id quod post aliud quid factum est, ut transitus rerum significetur, hac particula indicatur (Hand. p. 115). b) *non iam, iam non* (iam nihil). c) *iam a principio* et similia. *iam inde* et de tempore et de loco dictum invenitur. d) *iam hinc* de tempore VII, 29, 1 et VIII, 7, 7, de loco XL, 35, 14. e) *iam nunc* et *nunc iam.* f) *iam tum, iam tunc.* g) *iam pridem.* h) *iam* usurpatur in transitione orationis, ut saepe idem sit quod *porro,* nonnunquam etiam ad maiora et eximia per

hanc particulam adscendatur. i) *si iam.* k) coniungitur *iam* cum *ut* concessivo. l) *iam* per anaphoram interdum repetitur. m) *iam* interdum insolitam habet collocationem.

Aliorum adverbiorum commemoro haec: *Quam* a) respondet particulae demonstrativae *tam.* b) Raro *quam* respondet praegresso *tantus.* XXVI, 1, 3. XXXVII, 51, 9. XL, 46, 4. Drak. ad III, 63, 3. c) nonnunquam in altero membro *tam* omittitur. d) coniungitur cum positivis adiectivorum vel adverbiorum. e) cum superlativis adiectivorum et adverbiorum. f) Rarius coniungitur *quam* cum verbis. III, 45, 1. X, 19, 8. XXII, 49, 4. XXX, 44, 11. XXXVIII, 57, 8. g) coniungitur cum negationibus. h) Longe frequentissime *quam* sequitur comparativos et ea verba, quae significationem habent comparativi. i) *magis* vel *potius* nonnunquam ante *quam* omittitur. k) *quam* sequitur numeralia iisque cognatas notiones. III, 8, 2 tertio die quam; duplex, multiplex quam; pridie quam; dimidium militum, quam quod etc.; paucos post dies, quam etc. l) *aeque quam.* m) *sic — quam* uno loco reperitur IX, 36, 6. n) *quam* sequitur pronomen *alius* et voces, quae inde ducuntur, etiam in affirmativis sententiis. o) *haud secus quam.* p) sequitur voces *extra, intra, praeter, praeterea, insuper, ultra.* q) *ante quam.* r) *oppido quam.*

Adeo a) amplificatam condicionem et rem ad certum aliquem numerum vel gradum provectam et auctam notat (Hand. Tursell. I, p. 139). b) Non mutatur significatio, si negatio additur (adeo nihil, adeo non). c) *adeo* notionem habet intensivam. Distinguit enim id, quod ante omnia accurate et maxime spectandum sit aut in aliqua re magnopere vel potissimum valeat (Hand. p. 143). d) etiam id significat, quod super modum additur et praeter cetera nimium accedit (Hand. p. 150).

Admodum. a) De significatione huius adverbii bene exposuit Handius I, p. 168, qui docet in hac compositione praepositionem *ad* indicare posse et id, quod accedat et provehatur ad modum, et id, quod praeter modum accedat, ita ut modo per *satis,* modo per *valde* explicari possit. b) coniunctum cum negationibus. c) coniunctum cum nominibus numerum vel tempus indicantibus (*mille admodum* XXVII, 30, 2 = non minus quam; XXXI, 37, 12 *centum* **ferme** *capti, octoginta* **admodum** *ornati* = minimum; contra XLIV, 43, 8 *admodum viginti* = summum).

De formula *en umquam* vide Gron. ad XXX, 21, 8, qui dicit: formula est vehementer optantium per interrogationem aut etiam indignantium, cf. Hand. Tursell. II, p. 371.

Immo nonnunquam secundo loco ponitur.

Modo particulae significatio quomodo a substantivo *modus* ducenda sit, bene exposuit Handius in Tursell. III, p. 628 sq. a) *modo* restringit notionem, dum rem cohibet et ab aliis vel maioribus vel diversis secludit. Cum pronomine relativo coniunctum significationem universalem adsciscit *quicumque* vel restringentem *qui quidem,* cum imperativo admonitioni maiorem vim addit. b) *si modo* IV, 19, 3. XXVIII, 8, 4. XXXVIII, 56, 1. XXXIX, 1, 1. c) *modo* = dummodo. *modo ne* III, 32, 7 et aliis locis. d) de tempore dicitur, maxime eo, quod proxime praeteriit, nonnunquam etiam de remotiore aliquanto. De tempore proxime subsequente XXVI, 15, 13 = postmodo, v. W. et Hand. p. 646. e) modo — modo. f) De *non modo* agetur in voce *non.*

Quoad V, 50, 2 *fana omnia, quoad ea hostis possedisset, restituerentur.* De loco dictum est I, 18, 8 *quoad longissime conspectum oculi ferebant.* De tempore duplici modo usurpatur, ut aut idem sit quod: usque ad illud tempus, quo, = donec, aut idem quod quamdiu.

Rursus a) alteram rem alteri ex adverso ponit, ut significet: ex altera parte, I, 59, 6. II, 30, 1. XXV, 37, 15. b) de repetita dicitur actione. c) idem significat quod *retro,* XXI, 61, 6.

Saltem cum negatione coniunctum, ut recte docet Weissenbornius, fere significationem adsciscit *ne quidem.*

Simul a) significat res duas eodem tempore fieri. b) *simul* cum participio. c) duae notiones per *simul* et sequentem coniunctionem copulativam coniunguntur. Longe diversum ab hoc genere est, si *simul* spectat ad totam enuntiationem per duas coniunctiones copulativas inter se respondentes bipartitam. d) *simul — simul,* quod respondet Graecorum *ἅμα μὲν — ἅμα δέ.* e) *simul* dicitur pro *simul ac,* quod ipsum legitur XXXVI, 7, 5.

Ultro a) de actione dicitur, quam quis ipse incipit a nullo provocatus. b) cum adverbio *citro* coniunctum significationem habet loci.

ne — quidem. a) de significatione harum vocum bene disputavit Handius IV, p. 60, quem vide. b) Sententiam, quae per se ipsa est negativa, sequitur *ne quidem,* cf. XXII, 14, 4. c) particulas *ne — quidem* sequitur sententia per *sed* elata III, 10, 10. d) Ubi plura nomina ad eandem rationem referenda sunt, primum includitur verbis *ne — quidem,* v. I, 3, 10; III, 9, 12; ubi duas partes sententia habet, coniunguntur eae per *nec,* I, 3, 4; XL, 25, 6. (Hand. p. 69, coll. etiam p. 108).

Non a) coniunctum cum verbis. b) cum adiectivis et adverbiis. c) *non umquam, non — ullus.* d) diversa collocatio particulae *non.* e) de duplici negatione. f) *non* repetitum. g) *non et* VI, 20, 2. h) *non tam.* Quomodo differant *non tam — quam* et *non — quam,* vide Hand. p. 274. i) *non si.* k) *non — sed.* l) *non — sed — quoque.* m) *non ita.* n) *non magis quam.* o) *non modo sed.* p) *non modo non — sed.* q) *non solum sed.* r) *non modo sed etiam.* s) *non solum sed etiam.* t) *non modo (non solum) sed quoque.* u) *non modo non, sed etiam.* v) *non modo non — sed ne quidem.* w) *non tantum, non tantum sed, non tantum sed etiam, non tantum sed quoque.* x) In coniunctione *non modo — sed ne quidem* non alterum *non* omissum esse bene docuit Handius p. 293. y) Eodem modo usurpatur *non — solum — sed ne — quidem.* z) *non modo, non solum, non tantum* haud raro post eam sententiam ponuntur, ad quam referuntur.

Nec, neque. a) *nec* gravioris negationis antiquitus erat vocabulum et usurpabatur pro *ne* negativo, cuius usus praeter verbum compositum *necopinatus* unum exemplum apud Livium extat I, 25, 10 *qui nec procul aberat.* b) *nec* et *neque* ita ponuntur, ut negatio a copulativa, quae subest, particula seiungi et ad nomen aliquod singulare referri debeat, non ad verbum. Ita fit in verbis, quibus innata negatio detrahitur, atque saepe dicitur *nec ullus* pro *et nullus, nec quisquam* pro *et nemo* (sic Hand. p. 99). c) *nec* et *neque* adnectunt negantem sententiam superioribus. d) *nec* = ne — quidem. e) *nec* alii negationi additum est ad augendam negandi vim, XLIII, 13, 1, v. Hand. p. 110; 132 et W. ad h. l. XXXIV, 32, 9. f) *nec enim, neque enim.*

g) *Nec* et coniungitur cum coniunctivo optativo et imperatorio et centinuat praecedentem coniunctivum eiusdem generis vel enuntiationem per *ut* vel *ne* formatam. Eodem modo *neque* coniungitur etiam cum imperativo praegresso alio imperativo. h) Transeamus ad disiunctivam formam orationis. Praeterquam quod cuique neganti sententiae alia negatio adicitur per *nec* et *neque,* etiam uni verbo subiungi possunt duo nomina per *non* — *nec* s. *neque, nihil* — *nec* s. *neque* (verba sunt fere Handii p. 123). i) In disiunativa sententia *nec* et *neque* bis et saepius poni possunt. k) Sententiae disiunctivae possunt communi negationi subiungi praemissae. l) *nec* — *et, neque* — *et.* m) *neque* — *que* XXVIII, 25, 1.

Neve, neu. a) *neu* — *neu.* b) *ne* — *neve (neu).* c) Praecedit enuntiatio per *ut* vel per solum coniunctivum formata et sequitur *neu* vel *neve.*

Coniunctiones copulativae. *Et* a) coniungit notiones atque sententias. b) Si plura nomina adnectenda sunt, aut unicuique additur *et* aut ultimo tantum. c) Si ultimo tantum nomini additur *et,* huius rei causa nonnunquam in eo quaerenda est, quod nonnulla per se unam notionem efficiunt. d) Nonnunquam secundo loco *et* ponitur, tertio *que,* rarius *ac.* e) Coniunguntur duae sententiae vel duo nomina per *et,* quorum alterum priori addit distinctiorem definitionem idque illustrat et explicatione amplificat (v. Hand. Turs. II, p. 477). f) in sententiis, quae similitudinem et aequalitatem significant, post verba *aeque, idem,* ponitur *et* (Hand. p. 481). g) *Et* praemittitur interrogationibus, maxime cum indignatione expressis. h) *et* ponitur significatione adversativa. i) *et non.* k) *et* = etiam. l) In primis haec significatio apparet in coniunctione *et ipse* apud Livium frequentissima. m) *et* — *etiam, et* — *quoque.* n) Ubi duae vel plures res non modo coniunguntur, sed ex aequo ponuntur, unicuique membro additur *et.* Nonnunquam *et* — *et* ita positum est, ut prius *et* enuntiationem simul coniungat cum en. superiore; aliis locis *et* ita positum est, ut alterum *et* exspectetur, pro quo deinde aliter conformata est enuntiatio. o) Eadem significatione, qua *et* — *et,* usurpatur etiam *et* — *que.* p) *et* — *neque (nec).* q) *et quidem.* r) *et tamen.* s) *et ne.* t) *et ne* — *quidem.* u) *et cum* — *tum.* v) *et nec* — *nec.* w) *et* — *ceterum.*

Que a) adiungit et singulas notiones, sive sunt eae inter se similes sive contrariae, et enuntiationes superioribus. b) *utique* = et uti. c) *itáque* = et ita. d) *simul* — *que.* e) *que* generali notioni adiungit notionem singularem vel eam, quae est maioris momenti. f) Sed etiam contrarium fit, ut singulari notioni per *que* adiungatur notio generalis, quae minoris sit momenti. g) *que* adnectit id, quod actionem consequitur. h) *que* definit notionem accuratius. i) *que* particula aliquid inexspectatum additur. k) *que* contrarium aliquid addit, ut vice fere fungatur coniunctionis adversativae. l) Primo membro adduntur duo per *que* particulam adnexa. m) Primo membro adiungitur membrum a *que* et huic tertium ab *et* incipiens. n) Primum membrum sequitur aliud a *que* et hoc alind ab *atque* s. *ac* incipiens. o) *que* tertio demum vel quarto membro additur, cum priora sint *ἀσύνδετα.* p) Nullo membro antecedente respondent sibi mutuo duo membra per *que* et *et* elata. q) Etiam duae enuntiationes per *que* — *que* elatae mutuo sibi respondere possunt, sed uno loco XLIII, de quo vide W., excepto semper hoc ita fit, ut *que* utrobique adnectatur pronomini relativo. r) *que* prope accedit ad significationem vocis *quoque.*

s) Drakenborchius ad XXXVI, 21, 3 *(post paucosque dies)* haec habet: „Livius encliticam *que* indifferentur nunc in initio orationis ipsi praepositioni, nunc voci proximae, quae praepositionem sequitur, subiunxit". Exemplis hanc in rem a Drak. allatis quindecim habeo, quae addere possim.

Atque, ac coniunctionibus a) secundum Handium in Tursellino I, p. 458 notiones et enuntiationes duae aequali condicione ita componuntur, ut utriusque aequalis dignitas exprimatur, ut (p. 459) duae res aequiparentur. b) *ac, atque* particulae definiunt rem accuratius (= et quidem). c) Coninngunt hae particulae singularem notionem cum generali. d) *atque, ac* significationem fere habent particulae adversativae. e) *atque* = statim. f) *atque — quidem.* g) *ac non.* h) Variant inter se *ac* et *aut.* i) *atque etiam* III, 46, 9; XLIV, 22, 8. *atque adeo etiam* X, 5, 14. k) Ponuntur hae particulae in comparationibus et aequalitatis et diversitatis ac dissimilitudinis. l) *ac* si exiguo intervallo bis vel ter ponitur, non semper hoc ita fit, ut particulae sibi mutuo respondeant. m) *atque (ac)* sequitur *et* particula ἐκ παραλλήλου posita XXVIII, 5, 16, itidem XXII, 3. 3. Alia ratio est ib. § 2. n) respondent sibi mutuo duo membra per *ac* et *que* elata XXXI, 27, 3.

Etiam a) significatio. b) cum comparativo coniunctum. c) *cum — tum etiam.* d) *etiam* de tempore. e) Coniunctiones *non modo, non solum, non tantum* sequitur *sed etiam.* Omisso *sed* solum *etiam* positum est XXIV, 42, 12 sq. Nonnullis locis *etiam* praecedit. f) *etiam atque etiam.*

Quoque a) significatio. b) *hodie quoque.* c) *ipse quoque.* d) *quoque enim.* e) *quoque* coniunctum cum enuntiatione negante. Negationis instar est adverbium *aegre* XLIII, 21, 7. f) *non modo, non solum, non tantum, sed quoque,* nonnunquam ordine inverso, ut *quoque* praecedat. g) *quoque* apud Livium nonnunquam liberiorem habet collocationem.

Coniunctiones adversativae. *Ast, at* a) opponit rem sive sententiam diversam vel contrariam. b) coniunctum cum pronominibus personalibus. c) ponitur in apodosi enuntiationum maxime condicionalium. d) ponitur in figura rhetorica, quam Latini occupationis, Graeci ὑποφορᾶς nomine significant, v. Hand. Turs. I, p. 433 sqq. e) *at enim.*

Sed a) habet vim secludendi et secernendi, v. Hand. Tursell. I, p. 425. b) *sed tamen.* c) *sed* repetitum. d) de *non, non solum, non tantum, non modo (non)* sequentibus *sed, sed etiam, sed quoque, sed ne quidem* vide supra..

Coniunctiones disiunctivae. *aut* a) *aut — aut.* b) *aut — aut* dicitur etiam in sententia negante, aut, quod eodem pertinet, in interrogatione vel post *quam* praecedente comparativo. c) Quae est aequa ratio rerum disiunctarum in duplici *aut,* ea iniqua est, semel si ponitur, et cum in alterius locum alterum substituatur, potest illud ipsum pro primario haberi, unde fit plerumque descensus a maiore ad minus, ita ut simplex *aut* significationem nanciscatur *aut etiam* (v. Hand. I, p. 535). d) *aut* = alioquin. e) *aut* est corrigentis et rem exactius definientis, = aut potius. f) Simplex *aut* coniungit saepe etiam ea, quae aequalia et unius generis sunt: nonnunquam hoc ita fit, ut unum genus in suas partes dividatur (cf. Hand. p. 540 sq.). g) Simplex

aut praegressa negatione vel comparativo positum. h) Coniunctio *ut* vel pronomen relativum si iterum ponenda sunt cum altero *aut*, mutant nonnunquam locum. i) *aut certe.*

Vel coniunctio quomodo differat ab *aut*, vide Hand. I, p. 527 sqq. a) simplex *vel* significatione disiunctiva. b) Longe plurimis locis simplex *vel* apud Livium significationem habet intensivam. c) *vel — vel.* d) *vel — vel* collocationem nonnunquam habet declinantem a regula.

ve, quod pro *vel* dicitur minore cum vi, non ipsas res diversas opponit, sed ad cogitationem provocat et iudicio optionem facit, utrum hoc an illud accipiamus (sic Handius IV, p. 173). Nonnunquam est corrigentis, cf. Alschefskium ad praef. 6: „particula *ve* utebantur scriptores, si quid minus recte dictum videretur". Interdum cum *aut* coniunctum est.

Coniunctio causalis *namque* a) ab initio sententiae ponitur. b) multo frequentius autem secundo loco enuntiationis.

Coniunctiones conclusivae. *Itaque* a) aut ab initio ponitur enuntiationis. b) aut secundo vel tertio loco. c) *itaque ergo.*

Ergo sec. Handium II, p. 441 a) causam indicat qua quid efficitur. Haec est primitiva illa forma, quae substantivi instar cum genetivo coniungitur. b) Haec vero causae efficientis notio etiam adverbialiter exprimitur. c) De *itaque ergo* vide in v. *itaque.*

Igitur a) primum locum tenet enuntiationis. b) post alia vocabula ponitur.

Haec hactenus de iis coniunctionibus, quae in enuntiationibus primariis ponuntur. Restat ut de nonnullis earum dicatur, quae ad formandas secundarias usurpantur.

Cum a) de tempore dicitur. b) *cum primum.* c) *cum interim.* d) *cum maxime.* e) Loco XXVI, 22, 1 syntactica quidem ratione ambae protases ἐκ παραλλήλου positae sunt, sed posteriore tantum causa eorum expressa est, quae sequuntur. f) *cum* concessivum (sive correctivum cum Weissenbornio id dicere mavis) est II, 47, 11. g) *cum tamen.* h) XXIV, 15, 7 exiguo intervallo duae deinceps enuntiationes positae sunt per *cum* formatae, quas deinde utrobique id sequitur, quod protasi effectum est. VIII, 33, 1—2 et § 3—4 duae periodi aequali modo formatae sunt per *cum — et — cum.* XXVIII, 40, 2 post longum verborum intervallum repetitum est; V, 35, 4 per anaphoram hoc factum est. Saepe uni eidemque periodo duae enuntiationes per *cum* formatae insertae sunt, nonnunquam ita, ut particula in utroque membro aliam habeat significationem. i) *cum* haud raro a Livio procul ab initio enuntiationis ponitur.

Dum encliticum variis vocabulis, in primis negantibus et imperativis adnectitur, *nondum, necdum, nedum, nihil dum, nullus dum, agedum, agite dum.*

Coniunctio causalis *quia.* a) significatio. b) Saepe in una eademque enuntiatione coniunctiones *quia* et *quod* coniunctae sunt.

Coniunctiones condicionales. *Si* a) ponitur in sumptione. b) *si iam.* c) *velut si.* d) *si* per anaphoram nonnunquam repetitur. XXXII, 20, 2 *si* propter longius intervallum repetitum est. Aliis locis duarum enuntiationum condicionalium una alteri subiecta est. e) *si* saepe a Livio usurpatur omissa particula adversativa, ut idem sit quod *sin.* f) *si* = etsi, etiamsi. g) *si*

saepe pro particula interrogationis ponitur, etiam si verbum non est additum, a quo pendeat, sed modo mente addendum. h) *si — sive.* i) *si — non.*

Nisi a) significatio. b) *nisi quod.* c) *nisi — non.* d) *nisi si.*

Sive seu a) semel ponitur et alteri tantum membro additur. b) longe plurimis in locis cuivis duorum vel plurium membrorum additur. c) *sive — sin autem* XXXVII, 15, 2.

Coniunctiones concessivae. *Quamquam* a) usurpatur coniunctum cum verbo finito ita ut apodosi plerumque addatur particula *tamen.* b) ponitur in contracta enuntiatione non coniunctum cum verbo finito. c) ponitur in enuntiationibus, quae specie quidem et forma sunt primariae, relatum ad superiora, et vim habet restringentem et corrigentem.

Etsi a) coniungitur cum verbo finito, b) ponitur in contracta enuntiatione sine verbo finito.

